

5.2.68



DE ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ ORIGINIBUS DISSERTATIO.





DE ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ ORIGINIBUS DISSERTATIO

AUCTORE

D. BENEDICTO BACCHINIO

Monacho Benedictino-Casinensi.

Admodùm R. P.

P. D. ERASMO GATTOLÆ

S. Placidi extrà Messanam Priori

DICATA.





MUTINÆ M.DCCIII.

Typis Antonii Capponi, Impressoris Episcopalis.

Superiorum Consensu.




V. C.

ADM. R. P. P. D. ERASMO GATTOLÆ S. PLACIDI EXTRA MESSANAM PRIORI

D. BENEDICTUS BACCHINIUS F.




UÆ in publicam lucem prodit hæc mea qualiſcumque Diſſertatio, ut tuo nomini inſcriberetur V. C., quam habuerim cauſam, paucis accipe. Vitæ idem genus, cui, auſpice Deo, nomen dedimus, quodque uniendis regionum licèt intervallo diſſitis hominibus, admodùm pollet, eò fortiùs utriuſque noſtrûm animos devicit olìm, quò te volente, ultròquè admittente, acceſſit



Illud amicitiæ ſanctum, & venerabile nomen; datumque eſt mihi, quamvìs à te, genere, virtute, & dignitate longiſſimè poſito, intimiori tua conſuetudine frui. Porrò quot, quantaque humanitatis, & amoris ſigna exhibuiſti, & coràm, cùm (quod tibi acceptum in primis refero) ſacrum iſtud Caſinenſe Monaſterium licuit inviſere, & procùl inſtituto mutuo frequentique Epiſtolarum commercio, quo ſubindè abſentiæ dolorem leniendum cenſuimus! Sanè nec dulces tui cùm redduntur, literas lego, quìn felicis ejus plurium hebdomadarum moræ, quibus iſtic degi recorder, nec ejus memini, quin ſummo gaudio perfundar. Te auctore Monaſtici Benedictini Ordinis ſacrum iſtud Caput, & venerabilem occidentalium Monachorum Metropolim vidi, quodque impensè deſideraveram, Sanctiſſimi Patris Lypſanis provolutus, ſepulcrum ſum oſculatus. Te Duce ad intimum, celeberrimumque tota Evropa Caſinenſe Archivum, & ad abſolutiſſimæ Manuſcriptorum Codicum Bibliothecæ forulos admiſſus, plurium ſeculorum monumenta, Sanctorum Patrum Opera, Principum, Procerum, Summorumque Pontificum Diplomata, à temporis, ac tinearum dente, ſervata, ſcrutari licuit. Verſabamus diù no-

ctù-

ctùque, manu, mente, ſermonibus, cartas iſtas avro longè, gemmiſque pretioſiores, & intèr ingentes earum acervos poſiti, otio illi indulgebamus, quo, à rerum omnium curis longè remoti, ea ſolida felicitate fruebamur, quæ ſola in hac Mortalium conditione, veræ felicitatis nomen meretur. Te verò quali animi candore præditum, quanto bonarum literarum amore ferventem, quanta humanitate ergà earundem cultores utentem, expertus ſum! Planè, & animos excitas, & opere excitatos juvas, & ſcriptis inſtruis, ut res Eccleſiaſtica per eruditos Viros in dies promoveatur. Quoquot intelligis Reipublicæ bono inſudare officiis demereris, ſincerè colis, amaſque, & nil tibi jucundius, quàm Libros, literariaſque prodeuntes merces undiquè conquiſitas, comparare; idque totum (quod bonum omne complet, ac perficit) animi moderationi, veræque in Deum pietati comparandæ, dirigis. Quì igitùr aliò divertere poteram Diſſertationem hanc dedicaturus? quì alterum à te quærere, cui eandem inſcriberem? Novi te pro inſita ergà me animi tui benevolentia, officium hocce æqui, bonique facturum. Scilicèt juvat inter amicos munuſculis agere, & beneficiorum collatorum magnitudini, candore potiùs,



quàm pretio respondere. Quanta tibi debeam minimè sim vel solvendo, vel explicando. Tu V. C. exiguo hocce, ac levidensi officio patere, & debitum, & solvendi impotentiam me publica professione testari. Sincerum animi mei cultum, dùm exhibeo, ut, quod soles, me amare pergas velìm, sciasque immortale futurum studium, quo te ex intimis sensibus veneror, sanctèque in Deo, cui eisdem votis servimus, amplector. Vale.

Vi-



VIsa atque perlecta attestatione Reverendissimi Abbatis Monasterii Mutinensis, & P. D. Thomæ à Reate, quibus commisimus accuratè recognoscere Libellum, cui titulus est: DE HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ ORIGINIBUS DISSERTATIO, elucubratum à P. D. Benedicto Bacchinio nostræ Congregationis Monacho, asserentium nihil invenisse, quod sit contrarium Fidei, aut non consonum bonis moribus, approbantiumque in lucem edi posse ad utilitatem Eruditorum; idcircò ut typis mandetur vigore præsentium quantùm in nobis est præfato Auctori facultatem elargimur, si cæteris, quorum interest videbitur.

Datum in nostro Monasterio Montis Casini die 15. Mensis Jan. 1703.

Locus ✠ Sigilli.

D. Hyppolitus à Neapoli
Abbas; & Præsidens.


D. Laurentius à Florentia Cancellarius.

Ex



EX Commissione Reverendissimi Patris Inquisitoris Generalis Mutinæ diligenti oculo legi Librum elaboratæ eruditionis, cui titulus est: DE HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ ORIGINIBUS, Auctore A. R. D. Benedicto Bacchinio, & cùm in eo nihil invenerim, vel Fidei, vel bonis moribus repugnans, ideò ut typis mandari possit publicæ utilitati censeo. Datum ex Conventu S. Margaritæ Mutinæ die 31. Januarii 1703.

Fr. Lucas de Carpo S. Inquisitionis Consultor, & Exprovincialis Ordinis Min. Observantium.



IMPRIMATUR

Fr. Joseph Maria Berti Inquisitor Generalis Mutinæ.



VIDIT,

Nicolaus de Sanctis.

PRÆ-




PRÆFATIO

In qua ſcribendi occaſio, & Scribentis mens explicatur.



Gnellum, qui circà dimidium Seculi noni, de Ravennatis Eccleſiæ Pontificibus ſcribebat, cujuſque Opus manuſcriptum inter Codices Bibliothecæ Sereniſſimi Ducis Mutinenſis inveneram, Obſervationibus, & Diſſertationibus illuſtrans, cùm ad Vitam Johannis Epiſcopi cognomento Angeloptis perveniſſem, ea, quæ de præſtito per Valentinianum Auguſtum eidem Johanni Privilegio, narrantur, in eam me conjecerunt neceſſitatem, ut argumentum difficillimum, multiſque magnorum Virorum lucubrationibus vexatum, & ipſe tractarem. Diſſentientibus enìm votis circà Ravennatis metropolitici Juris antiquitatem, cùm momenta rationum perpenderem, & exquirerem, liber omninò à partium ſtudiis quid in ea re magis ad veritatem accederet, à ſingularibus paulatìm ad univerſalia me tranſiſſe perſenſi, & cognovi vix fieri poſſe, ut Ravennatis Metropolis originem invenirem, niſi de tota Eccleſiæ Hierarchia, ejuſquè initiis certiora, vel


ta



ſaltèm probabiliora ſeligerem. Retrahebar equidèm à perſcrutandis argumenti latebris ab ea, qua teneor ergà inſignes Scriptores, qui de eo egerunt, obſequii religione, & terrebar, cùm periculum immineret, vel temeritatis notam incurrendi, ſi quod illi tradiderunt, ad trutinam revocarem, vel, inutili labore aſſumpto, nauſeam efficiendi Lectoribus, qui jam propinata cæca credulitate recoquerem. Inter hæc tamèn, ut ſumus omnes ad veritatem exquirendam natura comparati, cohibere me nequivi ab ulteriori diſquiſitione rei, quam nec plenè, nec undequaquè verè, uſquè in hanc diem explicatam ſuſpicabar. Communis illa ſententia eſt, qua ferunt Hierarchiam primùm ad normam Romani Imperii conſtitutam; at licèt omnium ferè eadem ſit Theſis, qua etiam aſſerere non dubitatur Apoſtolos ipſos ad civilium Provinciarum formam Eccleſias fundaſſe, cùm nihilominus ad ſpecialia devenitur, rem involutè ſatis, incoſtanter, & implicito ſermonis genere confundunt, & in diverſa abeunt, eruditiſſimi Auctores. Sunt enìm qui ad Urbium potiùs celebritatem, & frequentiam, quàm ad Romanæ politiæ ſtatum reſpexiſſe Apoſtolos dicunt. Sunt qui ubivis Eccleſiaſticas Metropoles fuiſſe autumant ab initio, ubi celebres Urbes, vel Provinciarum veterum Metropoles laudantur apud profanos Auctores. Sunt qui nec ubique, nec ſemper id factum agnoſcunt, ſed ob incertas cauſas à ſtatuta regula

gula Patres, Apostolosque exorbitasse fatentur. Sunt qui, cùm semel asserverint omnes civiles Metropoles, Ecclesiasticas etiam ab initio fuisse, urgentibus tamen in contrarium rationibus, Metropolitas quosdam nomine tenùs tales fuisse scribunt, tunc maximè, cùm de Provinciis Romano Episcopo subditis agunt intrà Italiæ totius fines. Cùm autem plures Romanum Imperium vices sit passum à Tiberii ævo, usquè ad Constantini ætatem, dùm Imperii ipsius Systema exponendum censent, ad quod se conformaverint non modò Concilii Nicæni Patres, sed & Apostoli omnium primi (quod profectò mirum est, imò potiùs incredibile) Imperii statum proferunt, quale non nisi circà quarti Seculi initia obtinuisse certum est. In tanta ejusdem sententiæ ambiguitate vix solidi quidquam invenire ubi pedem figere liceret, nec fidere nostrorum temporum Scriptoribus quamvìs doctissimis poteram in his, quæ ut ut exquisito conjecturarum apparatu in Theatrum magno cum plausu comparuissent, nullo tamèn veterum Patrum solido testimonio fulciebătur. Etenìm quì fieri potuisset, ajebam, ùt sanctissimi doctissimique Romani Pontifices, qui Apostolicam traditionem probè callebant, urgentibus sæpè de Metropolitanorum, Exarchorum, Patriarcharumque juribus controversiis, nunquam ut eas dirimerent, ad Imperii laterculum recurrerint, sed potiùs dissertè negaverint ex temporalis glorię mensu-

ra,



ra, Episcoporum prærogativas metiri oportere, si id suo exemplo fieri debere, Apostoli docuissent? Aucto novæ Romæ decore Byzantio, translataque Romani Imperii Sede, veteri Apostolorum traditione tueri se potuissent illius Urbis Episcopi, Alexandrinum, & Antiochenum Patriarchas è suis locis deturbantes, Romanoque Episcopo se coæquantes, si ex Apostolis fluxisset, quòd Ecclesiarum Hierarchia ex Imperii typo penderet. At cùm nil hujusmodi allegaverint nèc Constantinopolitanæ Urbis Episcopi, nec cæteri Provinciarum Metropolitæ, qui vel jure, vel contrà jus præesse voluere, consequitur ignotum prorsùs per ea tempora, quod modò tanto consensu asseritur. Consequitur etiam corruptæ potiùs disciplinæ effectum fuisse, cui pro viribus obstiterunt Romani Pontifices, quàm quòd ejus rei exemplum præbuerint Apostoli, quòd ad Romani Imperii normam Ecclesiarum prærogativæ conformarentur, ac eadem semper in Petro, Petrique Successoribus sententia sedit, quam Gelasius Epist. ad Dardaniæ Episcopos dissertè in hæc verba explicavit; alia potestas est Regni Secularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum; sicut enim, quamvìs parva Civitas prærogativam præsentis Regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat.

Ob hæc, quæ mihi primò rem cogitanti occurrebant,

bant, agnovi, vel ab inceptis desistendum, vel si assumptam Agnelliani laboris provinciam ornare volebam à communi, laudatissimaque opinione recedendum, vel tandèm si ex prænarratis Scriptorum placitis alicui adhærere placuisset, invita Minerva, & contrà animi mei sensum scribendum esse. Postremum hocce libero, sinceroque homine prorsùs indignum, prius haud laudabile, & fortassis inofficiosum, secundum invidiæ, & periculo expositum, cùm videretur, rem ità temperari posse cogitavi, si quæ ad argumentum pertinent ea methodo pertractarem, ut ex doctissimorum Virorum lucubrationibus ea seligerem, quæ veritati consentanea viderentur, in reliquis ità scriberem, ac si nullus usque in hanc diem de Ecclesiasticæ Hierarchiç originibus scripsisset, & mihi non ex Recentiorum placitis, sed ex Veterum tantùm lectione rem cognoscendam proponerem. Quòd si quandoque fieri nequiret quìn nonnulla Recentiorum asserta impugnarem, id præstarem suppresso Auctoris nomine, & quàm modestissimo scribendi stylo. Animo menteque in hunc modum comparatis operi manum admovi, & ex diligenti rei totius examine, hæc qualiscumque Dissertatio prodiit, quam publicæ crisi exponere non dubitavi, paratus communiori sententiæ acquiescere, cùm momenta rationum acquiescendum suadebunt, meque ab his, quæ ne acquiescam impediunt, expeditum sensero. Interìm ne à præ-

scri-

ſcripta methodo recederem, & in hac ipſa Præfatione ab Auctorum nominibus recenſendis, & loca ipſa allegando, ex quibus manifeſtò, quas in ſuperioribus perſtrinxi antilogiæ, & parachroniſmi apparent, libenter abſtinui. Tu Lector, qua polles rerum, & Scriptorum hujuſmodi notitia, id omne noris, & me tacente, vel noſſe poteris. Cæterùm crediderim neminem fore, qui conatui huic meo ſuccenſeat, cùm de ea re quæſtionem inſtituo, quæ nullo certo argumento fulcitur, quæroque, veritatis ſolius amore, Hierarchiæ Eccleſiaſticæ veram originem, qui uſque modò traditis non acquieſco.

En autem Diſſertationis totius ordinem. Tribus hæc partibus conſtabit. In priori generalia argumenti tractabo, & perſpecto Imperii Romani ſtatu pro Apoſtolorum ævo omninò inepto, qui fundandis principibus Eccleſiis normæ loco eſſet, aliam rei originem exquiram, & Syſtematis ratione expoſita, oſtendere conabor, quibus ex cauſis tandèm irrepſerit, ut in Oriente frequentiùs in Occidente ægrè, & ſeriùs Hierarchia Eccleſiarum ad recentiorem Imperii formam componere tentatum ſit. In ſecunda parte ad Italicarum Metropoleωn origines deſcendam, quas non niſi quarto Seculo natas conficiam. Tandèm in tertia, de Ravennatis Eccleſiæ metropolitano Jure, ejuſque initiis ab Agnello aſſertis, tractabo.

PARS




PARS PRIMA


Generalia de Hierarchiæ Ecclesiasticæ Originibus.



MEtropolitanum Jus ab Apostolorum temporibus initia traxisse, seù Apostolos primos Jus illud quod postmodùm Metropolitanum dictum fuit, constituisse, certis adeò argumentis probatum est, ut superfluum omninò sit plura addere in re, quæ nullam patitur difficultatem apud Catholicos Scriptores, & quam doctiores etiam Heterodoxi defendunt. Cardo præsentis Controversiæ est, quam Petrus, Apostolique Ecclesias fundantes, aliasque aliis præponentes, formam secuti sint, an videlicèt Imperii Romani politiam aspexerint tamquàm normam, an solius Urbium celebritatis causa, earum præ cæteris frequentiores elegerint, an potiùs illorum, qui ad Fidem convertebantur primò, ac principalitèr ra-



tionem habendam censuerint. Tria proindè necessariò diligentèr sunt pertractanda, quæ si prætereantur, utì in hanc diem neglecta fuisse, videtur, impossibile est veram horum rationem cognoscere. Primum est, qualis politiæ Secularis Romani Imperii status obtinuerit Apostolico Ævo, videlicet à Tiberii, ad Trajani tempora. Secundum, Respublica Judæorum quo loco steterit, quasque vices passa sit à Christi Domini morientis anno, usquè ad Hierosolymorum postremam destructionem Hadriano imperante patratam. Tertium, ordo propagatæ Baptismi gratiæ, & tempus fundatarum principum Ecclesiarum, collatum cum superioribus jàm discussis. Ex quibus tandèm emerget rei veritas, facilèque procedi poterit ad posteriorem Ecclesiæ disciplinam necessariò primùm ex rerum natura immutatam, indè, ut ferunt hominum vices, non nihil anomaliis, & corruptioni obnoxiam. Ut itaque à priori de Imperii Romani statu quæstione incipiamus, sit



Ca-

Caput Primum.

De Imperii Romani forma, quæ Apoſtolorum Ævo vigebat.

I. PAlmare antè omnia diſcrimen obſervare operæ pretium eſt, quo recentior Orbis per Conſtantinum politica diviſio, à veteri Romanæ Reipublicæ regendi ratione, quam ſecuti ſunt priores Auguſti, diùque perduraſſe conſtat, diſtavit. Etenìm cùm Magni Conſtantini ævo Diœceſis civilis ea dicta ſit, quæ pluribus ex Provinciis componebatur, è converſo priori illo tempore, Provincia in plures Diœceſes diſtinguebatur. Recentiori Jure Provincia quælibet ſuum Prætorem habebat in Provinciæ Metropoli reſidentem; veteri verò, pluribus Diœceſibus, quæ Provinciam componebant, unus præerat. Diœceſes ſingulæ, Conventus etiam dicebantur, eoque nomine intelligebantur Urbes quædam, Oppida, Municipia, quæ ad certum Diœceſis locum convenire ſolebant, ubi Provinciæ Præſes ſuis temporibus jus publicum, privatumque dicebat. Diœceſibus, Conventibuſque in




Provinciis constitutis, factum est, ut latè Romanis rerum Dominis, cùm devictæ Regiones in Provinciam redactæ fuissent, ad Conventuum videlicèt, & Diœcesium rationem compositis eorum judiciis, veteres Gentium, & Regnorum fines sint confusi, & clarissimarum Metropolûm gloria sit antiquata. Strabo de ea re nos monet lib. 13. *Phrygiæ*, inquit, *& Lydiæ, & Cariæ, & Mysiæ loca ægrè distingui possunt, quòd inter se coëant. Ad eorum verò confusionem non parùm attulere Romani, qui non ex Gentibus ea diviserunt, sed alio modo Diœceses discripserunt, in quibus Fora agunt, & jus dicunt.* Sic varia Fata Cibyriticæ Regionis in Asia narrat. *Cibyra adjectis tribus Civitatibus Bubone, Balbura, Oenoandro, Conventui huic nomen Tetrapolis est factum, cùm singulæ Urbes singula suffragia haberent, Cibyra verò duo, quippe quæ mitteret XXX. peditum, duo equitum millia. Tyrannis autem paruit usquè ad Murenam, qui Moagetem postremum sustulit, ac Balburam, & Bubonem Lyciæ attribuit. Nihilominus Cibyritica Diœcesis inter maximas Asiæ Diœceses habetur.* Cibyra tamen post Strabonis ætatem Conventus prærogativam amisit, licèt Diœcesis Cibyriticæ nomen

men

men perſeveraverit, & ea Laodiceæ tributa fuit, ut infrà ex Plinii auctoritate conſtabit.


II. Conventuum autèm agendorum ratio expoſcebat, ut Prætor ob id Provinciam luſtraret, & in ſingulis Conventibus jus diceret. In id Vias ab Auguſto magnificè vel ſtratas, vel reparatas per Imperium notavit eximius vir Hieronymus Surita ad Itinerarium Antonini nomine vulgatum, nam *nec Italiam modò, ſed & univerſas Romani Imperii Provincias eo decore atque ornamento idem Princeps affecit, ut Præſides, & qui pro Conſulibus eo munere fungerentur faciliùs Provinciarum Urbes atquè Conventus obirent.* Licèt enìm aliquando certo in Conventu Præſes moratus ſit, ubi cæterarum Diœceſium Legatis accerſitis, omnium Forum ſimul, & ſemèl egerit, & id ſe quandòque feciſſe Laodiceæ, ſcripſerit Cicero ad Atticum; hoc tamèn raró, & pretèr ordinem accidiſſe, ex veterum lectione conſtat. Cæſar quamvìs ingentibus curis premeretur, & periculum ob moram immineret; *in Gallia,* inquit Hirtius, *citeriore jus dixit, ac paucos ibi dies moratus, cùm celeriter omnes Conventus percurriſſet, publicas controverſias cognoviſſet, in Belgium ſe recepit.* Sic & ex Sueto-



nio cap. 30. *neque Senatu interveniente, & Adversariis negantibus ullam se de Republica facturos pactionem;* his licèt urgentibus, antequàm ad Provinciæ limitem accederet, *transiit in citeriorem Galliam, Conventibusque peractis, Ravennæ substitit.* Idipsum ex Cicerone in Verrem agnoscimus, *ubi nullum,* ait, *Oppidum in Sicilia fuit, ex his Oppidis, in quibus Prætores consistere, & Conventum agere solerent, quo in Oppido non Verri delecta ad libidinem Mulier esset.* Ex quibus habetur Regiones omnes, quæ in Provinciæ formam redactæ fuerant, Præsidique parebant, nulli certæ Metropoli attributas fuisse, quæ veluti Provinciæ totius caput esset, & Mater, illique jura præscriberet, sed diversa omninò ratione rem judiciariam peractam.

III. Quæ, postquam Augustus rerum potitus est, in Provinciarum regimine sunt commutata, ex nullo meliùs dignosci possunt, quàm ex Dione, qui latè lib. 53. de hac re agit. Novimus autem Orbis Romani Provincias, quarum amplissimas Augustus sibi retinuit aliis Senatui relictis *sub ea specie, ut cùm Senatus tutò bonis Imperii perfrueretur, ipse laboribus, & periculis objectus videretur, at sub eo prætextu eum verè inermem, imbellemque*


que efficiebat, & ad se solum arma, militesque transferebat. Provinciæ Senatui relictæ, fuerunt; *Africa, Numidia, Asia, & cum Epiro, Græcia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia Creta, Africa Cyrenaica, Bythinia, cum Ponto finitima, Sardinia, atque Hispania Bætica.* Retinuit verò sibi Cæsar Hispaniæ quod reliquum erat, Galliam insuper omnem Narbonensem, Lugdunensem, Aquitanicam, & Celticam, Germanias utrasque, item Cœlesyriam, Phœniciam, Ciliciam, Cyprum, & Ægyptum. Adjicit Dio Augustum Galliam Narbonensem, & Cyprum Senatui Populoque posteà temporis reliquisse, & pro illis Dalmatiam recepisse, similesque Provinciarum permutationes subsecutis temporibus factas. Indè ait se Provincias relato modo recensuisse, quia suis temporibus (scribebat autem Alexandro Severo imperante) earum quæque peculiarem Præfectum habebat, cùm anteà, (quod notandum est) binis, vel ternis singuli præficerentur; alias omisisse, quia Augusto regnante nondùm Romanæ ditioni accesserant, vel sociæ, adjectæve, suis legibus utebantur, aut ex Romanorum concessione Regibus datis parebant. Cùm aliæ postmodùm accessere, non



Senatui, sed Cæsaribus tributæ sunt. De eadem re videndus est Strabo lib. 17. in fine. Hæc ad Provinciarum distinctionem; quæ sequuntur ad earumdem regimen spectant. Utriusque sortis Provinciis Patritios præfecit, excepta Ægypto, quam equestri viro tradidit. Ut Senatui pace relicta, sibi Bella, & labores reservatos indicaret, cùm in priori Reipublicæ forma Prætoris nomen Bello maximè conveniret, suarum Provinciarum Præsides Proprætores vocavit, cùm verò Consulis appellatio Paci competeret, reliquos Proconsules dixit. Prætereà Proprætoribus concessit, ut & expleto anno essent cum imperio. Senatoribus Africam, & Asiam, Prætoriis Viris reliquas Provincias adscripsit, quibus interdixit, ne intrà quintum annum à gesto in Urbe Magistratu Provinciam sortiri possent. Imperator autem *jubebat tot Viros, quot essent Provinciæ sortem inire*. Fuere prætereà, *qui à se delectos in istas Provincias Legatos miserunt, ac nonnullis per plures annos Imperium prorogaverunt, & aliquandò loco Patritiorum Equites præfecerunt*. Præfectis Senatorii, vel Patritii ordinis, qui potestatem mortis in Subditos habebant in Provincias euntibus, Legati

gati adjungebantur, Proprætori quidem unus, Proconsuli autem tres ex ejusdem dignitatis Viris, Imperatori probatos. Hæc ex Dione laudato loco. Adjiciendum est ex Rufi Festi Breviario cognosci posse, quandonàm, quibusque Augustis regnantibus novarum Provinciarum accessio sit facta, ex quibus in rem nostram notandæ sunt, quæ accessere Romano Imperio usque ad Trajanum, cujus ævo Apostolorum ætas finitur. Galatia itaque sub Augusto in speciem Provinciæ redacta est, & eam primus Lollius Proprætor administravit. Sub Imperatore Claudio Cæsare in Provinciæ formam Cappadocia migravit. Idem Claudius Britannias subegit. Tiberius anteà, ut ex Suetonio novimus Illyricum domuerat, & Provinciis restituerat. Pontus Polemoniacus Nerone imperante in Provinciam est redactus, sic & Alpes Cottiæ, Cottio Rege defuncto. Vespasianus Judæorum Regibus ferè omnibus extinctis, Judæam universam provincialem fecit, sicut, & Comagenem; præterea Lyciam, Rhodum, Samum, & Thraciam anteà liberas. Daciam denique, Armeniam, & Mesopotamiam devicit Trajanus.

IV. Et



IV. Et hæc quidem ea ſunt, quæ facilè exhibere poſſunt Apoſtolorum ævo, quam ſervavere Romani per Provincias Regiminis formam, & ex quibus tempus habere licet, quo Regiones anteà vel liberæ, vel Regibus parentes, eidem politiæ typo ſubjectæ fuere. Illud certiſſimum eſt Conventuum rationem non niſi ſeriùs mutatam, cùm Plinius in Hiſtoria, ſuorum temporum civilem formam ſecutus, Aſiam per Conventus deſcribat, de qua paulò poſt. Verùm procedente tempore, & Auguſtorum potentia omnia ad libitum moderante, ſuadentibus etiam rerum vicibus, Conventuum prærogativa paulatìm evanuit, cujus rei propterea rara apparent veſtigia in Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, Plinii ætatem ſubſecutis. Id ex eo primùm factum reor, quòd, ut in ſuperioribus viſum eſt, Imperatores Proprætoribus ſuis, qui in Provincias mittebantur, concederent ut ultrà annum, & quantùm ſibi placuiſſet Imperium prorogarent; ex diuturniori ſiquidèm mora Proprætoris in Provincia eveniſſe exiſtimo, ut locus in quo diutiùs morabantur, præcipuam in Provincia prærogativam acquireret, & paulatìm inter Provinciæ Diœceſes emi-

emineret ſtrictoque, ut ajunt, ſenſu Metropolis nomine vocaretur; quod tamen nonniſi ſeriùs factum eſt. Id etiam indè effectum arbitror, quod Proprætores armati Bellum potiùs, quam Pacem præſeferrent, quarè principem Provinciæ Urbem cuſtodirent, & in ea tamquàm in circumpoſitæ Regionis arce reſiderent. At & in Provinciis de novo ſubactis, nullam Conventuum rationem habitam exiſtimo, quòd Imperatoris eſſent, non Senatus; in hujus enim Provinciis diutiùs veterum Reipublicæ formam ſervatam res ipſa ſuadet. Porrò annale Proconſulum Imperium (ſi Tiberii ætatem excipias, qui diutiùs, quàm præcedentes, & ſubſecuti Auguſti fecerint, Rectoribus Provinciarum Jus prorogavit) uſque ad Severi ætatem perduraſſe probant, quæ Peſcenius Niger ex Spartiano ad Commodum ſcripſit; *tantæ auctoritatis* Peſcenius *fuit, ut ad Marcum primùm, deindè ad Commodum ſcriberet, cùm videret Provincias facili adminiſtrationum mutatione ſubverti: primùm ut nulli ante quinquennium ſuccederetur Provinciæ Præſidi, vel Legato, vel Proconſuli, quòd priùs deponerent poteſtatem, quàm ſcirent adminiſtrare*. Antoninus etiam Pius tradente

Ca-



Capitolino *ea constantia fuit, ut septenis, & novenis annis in Provinciis bonos Præsides detineret*. At Aristides, qui Marci Avrelii Antonini, & Commodi ævo floruit, in Oratione ad Civitates Asiaticas, *missos quotannis ex lege Prætores*, ait. Severo imperante quæ Commodo suggesta fuerant obtinuisse idem Spartianus tradit, quarè crediderim ab eo tempore Conventuum Provincialium formam in desuetudinem abiisse paulatìm, & tandèm ad unam Urbem ubi Proconsul residere consueverat omne jus redactum, quæ Tacito regnante Curia diceretur. Sic de ejus electione literas scriptas tradit Vopiscus *ad Curiam Carthaginiensem ad Curiam Trevirorum, &c.* Antoninus Philosophus Julio Capitolino narrante, *Provincias ex proconsularibus, consulares, aut ex consularibus Proconsulares, aut Prætorias pro Belli necessitate fecit*.

V. Per ea igitur tempora, quibus christiana Fides per Apostolos propagari cæpit, non ob id Urbes plures, Metropoles dicebantur, quòd apud ipsas Provinciæ Proprætor, aut Proconsul resideret, cùm ex Imperii forma nulli certo loco Is alligaretur, sed tali honore fruebantur, vel quià antequàm à Romanis sub-

ſubjugarentur Regum ſedes fuiſſent, vel quia ex Auguſtorum liberalitate id accepiſſent, ut circumpoſitarum Urbium primæ potiùs vocarentur, quàm revera eſſent; nec enìm id nominis aliud præſtabat, quàm inanem honoris umbram. Cæterùm obvia m Metropolis ſignificationem illam eſſe, quæ Urbem aliarum primam denotat, probat, quòd frequenter quas Latini Metropoles, Græci primas dixere, qua de re videatur eruditiſſimus Ezechiel Spanhemius Diſſert. 9. de Præſtantia, & Uſu numiſmat. Ex his autem, quæ idem, eodem loco diſſerit, apparet prærogativam hujuſmodi pluribus ejuſdem Provinciæ Urbibus tributam, imò quandòque unam plurium Provinciarum etiam Metropolim dictam, ut Sardis in nummo Reginæ Chriſtinæ, & Gallorum Regis, quæ dicitur ϹΑΡΔΙϹ. ΑϹΙΑϹ, ΛΥΔΙΑϹ ΕΛΛΑΔΟϹ. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. *Sardis*, *Aſiæ*, *Lydiæ*, *Greciæ prima Metropolis*. Ex tali Metropoleωn multiplicatione ortum fortaſſe eſt quòd *Metropolis* titulo, qui primam Urbem ſignificat, adderetur, ut in allato nummo, *primæ* titulus alter, quò Urbs eadem inter Metropoles, Metropolis, ſeù omnium prima dignoſceretur. At novi

non



non modò laudati celeberrimi Viri, ſed & aliorum Eruditorum aliam eſſe mentem, qui *Metropolim* ſignificaſſe volunt Urbis locum præcipuum inter circumpoſitas Civitates, *primæ*, vero adjectum, primatum Ludorum, & Certaminum ſacrorum, ob quem contentionibus certaſſe Aſiæ civitates, ac precipuè Pergamum, Smyrnam, & Epheſum, ex Ariſtidis laudata Oratione conſtat. At ſi Aſiæ Urbibus primatus hujuſmodi debebatur per vices; indè brevi annorum curriculo evenerit oportet, ut omnes, & Metropoles, & primæ nomine tenùs fuerint. Certè ex tota Ariſtidis laudata oratione, conſtare arbitror, Urbes illas non modò ob ludos, & certamina, ſed & ob rerum copiam, Ædium magnificentiam, & alia, de primatu contendiſſe, cæterùm æquali intèr ſe honore gaviſas, quod paci conciliandæ cauſa, Orator ſuadere intendit. Et ut appareat nonnullas etiam Urbes Metropolis nomine vocatas, quæ minimè Provinciæ capita cenſebantur, præter allata juvat recolere in Alexandri Severi nummo Damaſcum Metropolim dici, cùm tamen certum ſit Syriæ illi Damaſcum acceſſiſſe, cujus Metropolis Tyrus ab Hadriani temporibus, quarè Tertul-

tullianus lib. adversus Judæos cap. 9. *Damascus Arabiæ olim deputabatur antequàm transcripta esset in Syrophœniciam ex distinctione Syriarum*; quod idem à Justino martyre dictum fuerat in Dialogo contrà Judæos. At & subsecutis Constantino temporibus Metropolis nomen tributum etiam Urbibus quibusdam novimus, quæ quidèm licèt Provinciæ non essent capita, frequentia tamen, & oppulentia excellebant, quarè Metropoles dicuntur in Cod. Theod. l. 11. de Medicis, & Professoribus, ubi videndus celeberrimus Gotefridus, qui, quod ad Severi Alexandri ævum pertinet, suggerit Modestini J. C. responsum l. ἐὰν δύο σπ. de excusat. Tut. distinguentis Civitates in μεγίσας, sivè μητρόπολεις τῶν ἐθνεῶν, & in μείσυς τὰς ἐχύσας δικῶν, & in ἐλάττυς πόλεις. Nec ommittendum tandem censeo nonnullas etiam Urbes proprio nomine Metropoles dictas, quòd se à magna Deorum Matre conditas crederent. Tales Stephanus de Urbibus recenset, & alteram Plinius Ephesino Conventui tribuit.


VI. Præstat verò, postquàm summa veluti argumenti capita tetigimus, ad nonnulla specialiùs descendere, & quæ celeberrimæ in recen-



recentiori Imperii laterculo primis locis ponuntur, Provincias, eodem ordine considerationi subjicere, ut videamus, quo politiæ ordine Apostolorum ævo, regerentur. Primo loco Asia proconsularis occurrit, quæ quòd Proconsule semper sit recta & cognomen sortita est, & ad Senatum spectasse dignoscitur. Hanc Plinius lib.5. cap.29. & 30. Conventuum ratione habita describit, & Conventuum Urbes sequenti ordine enumerat, Laodicea, ubi Cybiriticus, Synnada, Apamea, Alabada, Sardis, Smyrna, Ephesus, Adramitte, Pergamum. Capite autem 27. monet in Asiæ etiam jurisdictionem Lycaoniam venisse, in cujus Conventu ponit Phylomelienses, Tymbrianos, Leucolitas, Peltenos, & Hyrienses, recisa Tetrarchia, quà Galatiæ est contermina Civitatum quatuordecim *Urbe clarissima Iconio.* In decem itaque Conventus tota Provincia Asiæ Proconsularis Apostolorum ævo distinguebatur ex forma juris Provincialis Romani. Urbium verò, quæ Conventus prærogativa gaudebant, nulla aliis prior, sed omnes æquo honore censebantur; quòd enim de primatu nonnullæ contenderint ex aliis capitibus processit, ob quæ maximè pari ju-

ri ju-

ri jure fruebantur, ac proindè iniquum erat contendere, cùm communi ratione ad omnes pertinerent, quod Oratione laudata urget Ariſtides. *Miror autem vos*, inquit, *cùm de Templis, ac certaminibus, quæ communia ducitis, non leviter ſoleatis gloriari, nunc de iiſdem inter vos diſſidere. Atque cùm de his rebus, quibus tanquàm communibus gaudetis, inter vos contenditis, de qua re tandèm conſentietis?* & paulò poſt ea enumerat, quæ cùm omnibus communia eſſent, efficiebant nihilòminus, ut Aſiæ Urbes de Primatu contenderent; *verùm*, ait, *ubi omnes omnia ducunt communia, communem etiam illorum curam gerunt. Jam vos has appellationes velùt argumentum contrà ſeditionem rebus imponentes, communes curias, communia templa, communes ludos, & maxima ferè quæque nominaſtis communia*, & ſtatìm; *at cùm ipſi ſcientes, nominantes, appellatione gaudentes, concordiæ occaſiones in ſeditionem vertitis, & nominibus fauſtis ad rerum perturbationem abutimini, &c.* Mirùm porrò Aſiæ celeberrimas Urbes à communibus prærogativis anſam ſumpſiſſe Primatum ambiendi, ſi earum aliqua ob id Metropolis, & omnium Prima fuiſſet, quòd in ea Proconſul reſideret!




ret! At idem Orator ex unius Proconsulis Augustorum nomine, Provinciam curantis, persona, omnium Civitatum jus æquale arguerat, & omnium Primam, Romam tantùm rerum Dominam dixerat Oratione eadem; *cæterùm quòd ad nostras res attinet, & constitutos bonis avibus ritus, quis tàm puer, vel tàm Senex delirus est, qui nesciat unam Urbem Primam, & Maximam toti imperare terrarum Orbi, unamque Familiam cuncta administrare? Prætores verò quotannis ad nos ex lege commeare, quibus omnia tùm magna, tùm parva secundùm eorum arbitrium permissum sit gerere?* Planè ex hujusmodi teste, evidentèr conficitur, nec ob Proconsulis Sedem, nec ob alia, Curias videlicet, Templa, Certamina, Asiaticarum Urbium ullam aliis prælatam, & faustuosa Metropolûm, Primarum, & similium appellationum nomina, quæ in nummis, ac in veterum Documentis occurrunt, re vera nullum suprà cæteras ejus, cui tribuuntur, Urbis Primatum importare. Nil itaque ad Ephesinam Urbem toti Asiæ præponendam conficitur ex Ulpiano l.4. ff. de Officio Proconsulis, ubi D. Antonini decreto *ad desideria Asianorum*, edicitur *Proconsuli necessitatem impositam*

tam

tam per Mare Asiam applicare ϰὴ τῶν μητροπόλεων Ἐφέσου *primam attingere*; nil ex Galieni nummo, in cujus avversa parte circà Rhedam epigraphes ACIAC. ΕΦΕCΙΩΝ. ſicut nec ex alio, in quo circà Dianam venatricem ΕΦΕCΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. quod & in aliis Saloninæ, & Gordiani. Si enìm hæc ad adſtruendum Epheſinum Primatum valerent, quarè non eodem argumento, & Pergamenorum, & Smyrneorum, Urbes Aſiæ Primas arguere liceret, cùm & ipſe in nummis, eiſdem faſtuoſis appellationibus decorentur? Sed & Sardim non modò Aſiæ, ſed Lydiæ etiam, ac Græciæ Metropolim in ſuperioribus dictam vidimus. Cur non potiùs Aſiæ toti Smyrna præponeretur, de qua ad M. Avrelium Antoninum, & M. Avrelium Commodum laudatus Ariſtides hæc habet? *quod enim nunc ſubmerſum eſt Templum, adeò fertur ſplendidum fuiſſe, ut contentione quondam inſtituta Aſia reliquis Gentibus prælata ſit, Aſiæ Urbibus Smyrna tantùm, ut reliqua quidem Aſia ſeptem duntaxat calculos, Urbs autem ſola quadringentos ferret.*

VII. Aſiæ proconſulari ſuccedit in Imperii Notitia, Oriens. At Veteribus Præſes, qui



Regioni præerat, non Orientis Præfectus, sed Syriæ Prætor, sivè Proprætor dicebatur, Isque ex Patritiis assumebatur, qui Imperatoris Provinciæ Jus diceret. Ex ipsis munerum nominibus apparet quantùm Præfecti Prætorio Orientis (qui unus ex quatuor Viris à Constantino Orbi toti regendo constitutis fuit) jurisdictio amplior esset, quàm antiqua Proprætoris Syriæ, quæ Christi morientis, & Apostolorum ævo viguit. Ex his, quæ vario fortunæ genere Syriæ acciderunt antè Christi Domini Ascensionem, sufficiat adnotasse Syro-Macedonum Regno illam paruisse, indè ex parte Tygranni Armeniæ Regi, postremò Romanis, per Pompejum subacto quid quid ab Ægypti finibus usquè ad Euphratem continetur. Josephus de Bello lib.1. cap.5. *Hujus autem*, Syriæ videlicet, *& Judeæ, cunctorumque administratione ad Ægypti usque fines, & flumen Euphratem, cum duabus Legionibus, Scauro permissa, Romam ipse*, Pompejus *per Ciliciam properavit*. Commagene, quæ Superiori Syriæ adherebat, nonnisi Tiberio imperante per Germanicum inter Provincias primùm est transcripta. Strabo lib. 16. *Commagene parva regio est, & Urbem*

bem habet natura munitam Samoſatam *Regni Caput*. *Nunc provincia facta eſt.* Verùm Cajus, Dione teſte lib.59. *Antiocho Antiochi filio Commagenem paternum Regnum*, *adjectis Ciliciæ maritimis*, *attribuit*. Cùm Cajus ipſe, qui Antiocho Regnum dederat, Regnum eidem ademiſſet, Claudius rursùs eundem in Regnum reſtituit, ex laudato Dione lib.60. Demùm Veſpaſiani imperantis anno quarto à Ceſennio Pæto Syriæ Proprætore, *ſivè re vera*, *ſeù propter inimicitias*, ut Joſephus ait Belli lib. 7. cap. 27. Antiochus idem accuſatus, quòd cum Rege Parthorum pacta habuiſſet, cum filiis ex pulſus, Romæ quamvìs liberaliter habitus, privatus obiit, ac ità demùm Veſpaſianus *Trachæam Ciliciam* inquit Suetonius cap.8., *ac Commagenem ditionis regiæ uſquè ad id tempus*, *in provinciæ formam redegit*. Annus Veſpaſiani quartus à Kal.Julii Æræ vulgaris anni 72. incæptus fuit, quo demùm currente, vel ſequenti 73. Syriæ Proprætor Commagenem, & Trachæam Ciliciam adminiſtravit. Præter Commagenis Regnum, aliæ etiam Regiones *ditionis regiæ* intrà laudatos Syriæ fines fuere per ea Apoſtolorum tempora. Aretæ Damaſcenorum Regis, de

quo Apost. 2. Corinth. cap. 11., vix aliundè notitiam habemus. Regem eum Arabum fuisse, cui Augustus Damascum restituit docet nos Emin. Noris de Epoch. Syromac. Diss. 2. cap. 2. §. 2. Id indicasse sufficiat, quod operæ pretium fuit, cùm ad tempora prioris Ecclesiæ spectet; nunc ad Judæorum Reges est transeundum. Herode seniore defuncto, quamvìs supremo testamento Archelao Regnum reliquisset, rem tamèn, ad contentionem per superstites Fratres deductam, ità diremit Augustus, ut Archelao, Ethnarchiæ nomine, mediam Regni partem daret, mediam in duas Tetrarchias divideret, quarum unam Philippo, alteram Agrippæ, tribuit. Salomæ etiam eorundem Sorori, Toparchia Jamniæ, Azoti, & Phaselidis, cum Regia apùd Ascalonem cessit, quam illa moriens Juliæ Augusti Conjugi reliquit. Archelao in exilium pulso ejus Ethnarchia in provinciam migravit, quam Copponius Eques, Cæsaris Procurator administravit, indè sub Tiberio, Pilatus. Cajo autem imperante Agrippa Aristobuli filius, Philippi prædefuncti circà eadem tempora, quibus Christus ad Cœlos ascendit, Tetrarchiam primùm collato Re-

gis

gis nomine obtinuit, indè, & Antipæ alteram; tandèm donatur Regno paterno universo Claudio imperante. Ejus Augusti anno Imperii quarto Agrippa extinctus est, postquam Jacobum gladio occidisset, & Petrum, ut Judæis placeret, trusisset in carcerem, quæ Lucæ Act. 12. narrantur. Agrippam juniorem reliquit, qui cùm admodùm infans Regno ineptus videretur, Regnum Claudio jubente, provinciale est effectum, misso primùm Cestio Festo, indè Tiberio Alexandro, Procuratoribus. *Post hæc*, inquit Josephus Antiqu. lib.20. cap.5. *Claudius anno Imperii sui duodecimo Agrippam donavit Philippi Tetrarchia, & Batanæa, adjuncta his Trachonitide, cum Abila, quæ Tetrarchia Lisaniæ fuerat; Chalcidem verò ei abstulit, cùm jam Dynasta illius quadriennio fuisset*; & cap. eodem in fine; *Agrippæ quoque idem Princeps*, Nero, *partem Galilææ donavit, jubens Tyberiada, & Tarichæas parere ejus imperio, addita his & Juliade trans Jordanem sita, agroque ejus habitato Vicis quatuordecim*. Chalcidis etiam, & Emesæ Reges diutiùs in Syria regnasse constat ex laudato Josephi loco, ubi Cesennium Pætum in Antiochum ducentem nar-




ratur habuisse *auxilio Reges Chalcidis Aristobulum, Emesæque Sobemum*. At omnium ultimus Agrippa Rex Vitam, Regnumque produxit. Id ex eo novimus, quòd Josephus ipse in Vita sua differens contrà Justum Hierosolymitani Belli Scriptorem, ób id illi succenset, quià cùm antè viginti annos Historiam scripsisset, eam tamen non edidit *vivo Vespasiano, ac Tito, quorum auspiciis id Bellum gestum est, & Agrippa superstite, cognatisque ejus*. Se autem ait Historiam suam, in Græcam certè linguam ab Hebraica translatam, Imperatoribus tradidisse, *cùm adhùc recens id Bellum penè versaretur in hominum oculis. Rex autem Agrippa*, inquit, *septuaginta duas ad me dedit epistolas testimonium veritatis ferentes*, quarum duas breviores subjicit. At anno vulgari 86. superstitem Agrippam probat nummus ejusdem scalptus eodem anno sub Domitiani Consulatu XII., quem in hanc rem laudat Em. Noris Diss. 3. de Epoch. Syromac. videndus.

VIII. Regum hujusmodi, & Tetrarcharum Jurisdictio ea fuit, qua vix in nonnullis Provinciæ Proprætorem audiebant, in cæteris, & his maximè, quæ ad Vitæ, necisque arbi-

trium

trium pertinent, absoluto jure fruebantur, Legibus suis utebantur, milites conscribebant, tributa exigebant, æs feriebant, fundebantque, ac signabant, sacra ipsa quodammodò curabant, quandoquidèm Judæorum Reges, Genti illi Sacerdotia dedisse, ademisseque, Augustis id concedentibus, constat ex Josephi lectione. Proprætori verò subjiciebantur, vel ex voluntaria, quam vocant, jurisdictione, cùm videlicet Rex ipse Proprætorem Judicem assumebat, vel ex eo quòd Imperii Romani Jus, cui Regnum Reges ipsi acceptum referebant, in discrimen vocaretur. Prioris jurisdictionis, voluntariæ videlicet, specimen exhibet Joseph. Antiqu. lib. 17. cap. 7., ubi Herodes de Antipatro filio, qui sibi venenum parandum curaverat, cogniturus, Quintilium Varum Proprætorem fortè Hierosolymis degentem, secùm sedere jussit. *Fortè*, inquit Josephus, *per idem tempus Hierosolymis erat Quintilius Varus successor Saturnino missus in Syriam, tunc verò ab Herode in consilium de rebus agendis adbibitus*, & paulò post; *sequenti deindè luce præsidente Varo, ac Rege, adbibitisque in consessum utriusque amicis, acciti sunt etiam cognati Regis, & Salome, &c.*

sed



ſed & teſtes auditi, ac Reus ipſe humi procumbens in Judicio ſtetit. Ità re peractâ, carceri Antipater mancipatus eſt, *omnibus ignorantibus quænam fuiſſent ejus cum Varo colloquia* (Is enim ſtatìm Antiochiam diſceſſerat) *conjectura tamen erat cuncta Regem facere ex illius ſententia*. Sed & ea in re Cæſaris voluntatem audivit, qui *Antipatrum Regis, & Patris arbitrio reliquit*. Hæc autem acta, quòd Herodes invitus de Antipatro tollendo cogitaret, quem Regni ſucceſſorem deſſignaverat, & quòd à ſe invidiam ejus facinoris avertere voluit, ſicùt & olìm Alexandrum, & Ariſtobulum ad Cæſarem Aquilejam uſque ductos accuſavit, teſtatus *ſe decedentem ex jure vel Patris violati, vel Regis per inſidias appetiti ex æquo ſe cum eis apud talem arbitrum diſceptare*; quibus conſentanea in ſui defenſionem repoſuit Alexander; *poteras enim vel pro regia, vel pro patria poteſtate in ſontes animadvertere*; quæ quidem eidem Joſepho narrantur Antiqu. lib. 16. cap. 8. Cæterùm hùc faciunt, ea, quæ Herodes ipſe Antonio, Cleopatra urgente, ſibi irato, in ſuæ regiæ auctoritatis defenſionem protulit, eodem Joſepho teſte Antiqu. lib. 15. cap. 4. quarè Antonius *negabat Cleo-*

patræ


patræ, oportere Regem facti sui rationem reddere, alioquì ne Regem quidem futurum, *sed dato illi semel honore, etiam liberam potestatem permittendam esse.* At proindè Herodes, nec Proprætoris, aut Cæsaris voluntatem exquisiverat aliàs, ipse tot cognatorum cædibus invisus. Secundi autem generis Jurisdictio eo casu locum habuit, quo exterorum, vel intestina per Syriam Bella timerentur, tunc enim milite conscripto, Reges auxilio adesse tenebantur Legionibusque, quibus Proprætor imperabat, adjungi. At nec id omninò ex Syriæ Rectoris arbitrio pendebat, sed cùm Augusto, & Senatu jubente, statutum fuerat bellum inferendum, vel repellendum esse, & de Regum auxiliis cogendis pro rei necessitate scribebatur. Hinc Reges, Tetrarchas, quìn & ipsum Provinciæ Proprætorem, finitimosque Provinciarum Præsides monitos novimus, ut obsequi deberent in omnibus Corbuloni, cui proindè majus imperium tributum fuerat, quàm quod Proprætoribus esse soleret, urgente Vologesi bello, quo cum Pætus malè rem gesserat, ex Tacito Ann. lib. 15. cap. 25. *Scribitur*, ait, *Tetrarchis, ac Regibus, Præfectisque, & Procuratoribus, & qui Prætorum*



torum finitimas Provincias regebant, jussis Corbuloni obsequi, in tantùm fermè modum aucta potestate, quàm Populus Romanus Cneo Pompejo bellum piraticum gesturo dederat. Et hæc quidem Nerone imperante gesta sunt. Majus autèm hujusmodi imperium ad certum tempus, & ad certa loca coarctabatur, nec dabatur nisi urgente necessitate, quarè haud Proconsulare fuisse optimè probat Clarissimus Pagius Dissert. Hypat. part. p. cap. 3. contrà Lipsium, Petavium, Spanhemium, qui collatum Germanico Proconsulare Imperium ex Dionis locis ei rei probandæ ineptis, evinci contendunt. His addendum est, quòd si de Regis fide dubitaretur, & argumenta essent eosdem cum Romani Imperii hostibus amicitias fovere, nec eo casu, omnium certè, qui evenire possent difficillimo, Proprætor solita jurisdictione fultus, in hujusmodi Regem ullo modo agebat, antequàm ex Augusto quid facto opus esset intellexisset. Id ex Antiochi Commagenæ Regis historia intelligimus; Cesennius enim Pætus, cui cum Antiocho inimicitiæ erant, *literas ad Cæsarem misit, Antiochum dicens deficere ab Romanis cum Epiphane filio decrevisse pactis habitis cum Rege Par-*

Parthorum; nec contrà Antiochum movit; nisi *fide habita, & potestate sibi permissa, ut ageret, quod expedire videretur.* Ità Joseph. libro, capiteque suprà laudatis.

IX. Cùm autèm frequens Procuratorum mentio in Syriæ Historiis occurrat, observandum est, quòd, quamvis, & in alias Provincias Procuratores mitterentur, hi tamen, qui Syriæ sunt dati, antè cæteros jure ferè Propretorio, & Proconsulari æquali, in judiciis sint gavisi, quo necis etiam, Vitæque habuerint potestatem. Procuratorum, quos Græci τὺς ἐπιτρόπυς vocant officium, Dio lib. 53. explicat, narratque, ex qua hominum sorte mitterentur; *Imperator etiam Procuratores (sic enim vocantur ji, qui publicos redditus colligunt, certasque impensas faciunt) in omnes Provincias suas, ac Populi Romani, ex Equitibus alios, alios ex Libertis, mittit.* Itàque ex sui muneris natura Procuratoris Jus tantùm erat in servitia, & pecunias familiares, & colligendos Cæsaris redditus, nec ad alia extendebatur, quìn nec de re pecuniaria cognoscere, velui agere poterat; quarè ex Dione, & Tacito, Procurator Asiæ Lucilius Capito, quòd jus Proconsulis usurpasset, & militibus adhibitis vim intulisset debitoribus,




bus, Provincia accusante, & Tiberio *magna cum adseveratione testante, non se jus nisi in servitia, & pecunias familiares dedisse*, exilio est mulctatus; quantò itaque minus poterat ex prima sui origine Cæsaris Procurator, de lite non fiscali cognoscere? Trajanus in ea re, disciplinæ rigorem restituisse videtur, ex Plinii Panegyrico, ubi hæc Imperatoris laudi dicuntur; *dicitur Actori, atque etiam Procuratori tuo, in jus veni, sequere ad Tribunal.* At jurisdictionem resumpsisse quò ad lites pecuniarias, probatur argum. *l.* 11. *C. si advers. Fis. lib.* 8. *§. Transactiones. de Transactionibus, l.* 1. *C. de Jurisdictione om. Jud.* D. Junio, & Q. Haterio Coss., anno videlicèt Ære vulgaris LIII. Claudius Procuratoribus suis id juris tributum voluit, quod ipse haberet. Tacitus lib. 12. Hist. cap. 60. *eodem*, inquit, *anno sæpiùs audita vox Principis, parem vim rerum habendam à Procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset; ac ne fortuitò prolapsus videretur, Senatus quoquè consulto cautum, pleniùs quàm anteà, & uberiùs.* Postrema verba referri ad Jus Præfecti Augustalis Ægypti, quo exemplo auctoritas ad omnes Cæsaris Procuratores, Claudio jubente est extensa, Tacitus ipse ostendit in consequentibus.

tibus. Antè Claudium porrò in Syria, Cæsaris Procuratores de causis pecuniariis, & ad Fiscum spectantibus, ac de cæteris etiam criminibus cognovisse, non modò ex profanis, sed & ex sacris literis agnoscimus, cùm Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum Christum Dominum Servatorem nostrumCrucis supplicio damnatum, confiteamur. Eodem autem jure usos Petronium Cumanum, aliosque apud Josephum videre est. Id ab initio habuisse peculiari modo Procuratores Cæsaris in Syria, mihi videor videre, non omnes quidèm, sed illi tantùm, qui præponebantur regionibus illis, quæ cùm anteà regiæ ditionis fuissent, Imperatoris bonis, speciali modo accesserant, nec militares ut illæ, quæ à Legatis administrabantur, sed Cæsarei Fisci propriæ, quibus loco Regis Imperator erat, & Imperatoris loco, Procurator. Hæ siquidèm semel à Legati jure separatæ, visæ sunt illi haud subjiciendæ, cùm in Imperatoris arbitrio esset novos Reges dare, quod & pluries factum fuisse in superioribus adnotavimus. Neronis imperantis postremis annis, cùm Judaici belli necessitas urgeret, Procuratoris loco in Judæam, Legatus Proprætor Vespa-

ſpaſianus venit, quem minimè à Muciani Syriæ Legati auctoritate dependiſſe argumento ſunt ſimultates inter utrumque ortæ ob Provinciarum vicinitatem, de quibus Tacitus Hiſt. lib.2. cap.5. *cæterùm hic Syriæ*, Mucianus, *ille*, Veſpaſianus videlicet *Judeæ præpoſitus, vicinis Provinciarum adminiſtrationibus invidia diſcordes, exitu demùm Neronis, poſitis odiis, in medium conſulvere, &c.* Tandèm noto Procuratorum Juri præceſſiſſe, Legati Proprætoris Syriæ auctoritatem, cùm ſeditio gliſcere cæpiſſet intrà Provinciæ fines; ſic Joſepho narrante Antiqu. lib.18. cap.5. Vitellius Syriæ Præſes Pilatum juſſit *Romam proficiſci reſponſurum apud Cæſarem ad objecta per Judæos crimina*, qui Samaritanos fraude Impoſtoris tumultuantes, armis fugavit, ac eorum plures occidit. Ità Cumano Procuratore, exorta Samaritanos inter, ac Judæos contentione, Umidium Quadratum Syriæ Legatum, non modò pro tribunali ſediſſe conſtat ex eodem Jeſepho Antiquit. lib.20. cap.5., & pœnis reos mulctaſſe, ſed & quòd *Ananiam ſummum Pontificem, & Ananum Ducem, vinctos Romam miſit, ut apud Claudium Cæſarem facti ſui rationem redderent; primiores etiam Samaritanorum,*

rum, atque Judæorum, simùlque Cumanum Procuratorem, & Tribunum Celerem ire in Italiam jussit ad Imperatorem. Tacitus Ann. lib.12. cap.54. duplici Procuratore Judæam sivè Galilæam, & Samariam rectas ait, concluditque quòd *arsisset bello Provincia, nì Quadratus Syriæ Rector subvenisset*, undè non modò inter Provinciales, sed & inter Cæsaris Procuratores seditionem arsisse conjectari potest. Quæ quidèm argumento esse possunt quali potestate in Judeæ Procuratores, quibusque de causis ea uterentur Syriæ Legati.

X. Cùm usquè in præsens de Syriæ, & Proprætorii Juris ejusdem finibus actum sit, nunc de Antiochiæ prærogativis est disserendum. Et ut ab eo decore, quem conciliabat Præsidis præsentia initium capiam, locus Josephi Antiquit. 17. cap. 7. observari meretur, ubì judicium de Antipatri capite, cujus paulò antè meminimus, narratur, quodque incidit circà natalem servatoris annum, habitumque est Herode Antipatri Patre, & Varo Syriæ Legato pro Tribunali sedentibus. *Varus*, ait, *sequenti die Antiochiam profectus est, ubì plurimùm solebat degere, quòd illic esset Syrorum Regia*. Duo hìc contineri



puto,ex forma videlicet Imperii haud Legato morem fuisse ut Antiochiæ potiùs, quàm alibì resideret; & Varum ibidem pro suo arbitrio moratum, quòd vetus Antiochiæ Syrorum Regia fuisset. Plura suadebant Antiochenum incolatum, nullum eorum tamèn ex Romanæ politiæ forma peti potest, videlicet Urbis frequentia, Gentis luxus, delitiarum copia, situs amœnus, & cætera hujusmodi; at præter hæc Præsides illud voluisse reor, ut Genti Reges habere solitæ, se quantùm licebat accomodarent; notum enim apud Tacitum quod Claudius Civilis ad Batavos suos ait; *servire Syriam, Asiamque, & suetum Regibus Orientem.* Ea diuturniori Proprætorum mora, Antiochia, veterem, quam sub Regibus habuit prærogativam servavit diutiùs; verùm, si rem penitùs inspiciamus, id erat antiquæ gloriæ, & magni nominis umbra, cùm ob id nil Juris in alias Syriæ Civitates haberet, cùm nec Legatus Antiochiæ residere ex lege teneretur. Hadriani ævo in eam dignitatem evecta fuerat, ut civitatum plurimarum à Comagene usquè ad Judeæ fines caput diceretur, & fortassis suprà Judeæ etiam Urbes eminuerat antequàm Trajano imperante

te

te per Cornelium Palmam Arabia in provinciæ formam redacta, Judeæque ipsi addita, unum ex utraque conflatum fuisset à Syriæ Provincia distinctum, quarè Hadrianus ipse ex Spartiano; *Antiochenses inter hæc ità odio habuit, ut Syriam à Phœnice separare voluerit, ne tot Civitatum Metropolis Antiochia diceretur*. Suidas V. Paulus, Tyrum ab Hadriano Metropolim effectam ait. Id nominis quid importaverit in superioribus visum est, ubi etiam adnotatum post Hadriani quoquè tempora Damascum tamquàm Metropolim laudatam in nummis. Hìc autem illud itèm adnotari meretur, Tyrum non modò Syrophœnicis Metropolim, sed & primam Syriæ Metropolim laudatam in nummo apud Holstenium in notis ad Steph. in quo Caput Herculis, & in aversa parte Corona populea, cum epigraphe ΤΥΡΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Η. ΠΡΩΤΗ. ΣΥΡΙΑΣ. Alium etiam nummum profert ille ex Museo Mediceo, in quo literas legit ΗΑΣ. Τ. ΙΕΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ., & explicari posse ait ἡ πρώτη Συρίας Τύρου ἱερᾶς Μητροπόλεως. At Emin. Noris priorem nummum, cum ea inscriptione non extare testatur, & altero allato Diss.4. de Epochis Syromaced. literas

teras priores Ære Tyriorum indices exhibet ΗΛΣ, quæ annum indicant ab V.C. 865. & ab autonomia per Tyrios obtenta ſub Alexandro Zebena novo Syriæ Rege anno V.C. 628. Annus cuſi nummi, ex quo prioris multiplicandi, qui verè non extat, occaſio irrepſerit, ut monet doctiſſimus Cardinalis, ſignatur in Faſtis, Conſulatu Trajani Aug. VI. & T. Sexti Africani. Licèt autem lectio ab Holſtenio excogitata non ſubſiſtat, ex nummo tamen agnoſcimus Tyrum Metropolis encomio laudatam etiàm antè Hadriani ætatem. Sed & id honoris habuiſſe etiàm Regum Syracidarum tempore ex nummis illis evincitur, florentibus iiſdem Regibus, cuſis, in quibus cum Aquila, & Clava, Palma inſculpta viſitur, *quòd Palma erat Phœnicis, cujus Tyrus Metropolis, ſymbolum*, ut verbis ejuſdem Clariſſimi Viri utar. Nec facilè dignoſci poſſe reor an ob id in hujuſmodi antiquis monumentis Tyrus Metropolis laudetur, quia Tyrii ſuam Urbem aliarum in Phœnicia Matrem crederent, quas illa Colonias mittendo fundaſſet, an ob eaſdem cauſas, ob quas aliæ etiam Civitates Syriæ plures, Metropoles ſunt dictæ, quæ tamen nullas à ſe miſſas

Co-

Colonias contendebant.

XI. Juvat, postquàm in id devenimus, ut & tempora post Apostolicum breviter attingeremus, nonnulla addere ad eandem rem spectantia. Hadrianus igitur Phœniciam non modò à Syria Antiochena separavit, sed & eam minuit, Phœniciæque fines ad Euphratem esse voluit, ac Provinciam Syrophœnicis nomine vocatam Legato suo regendam demandavit. Id & apùd subsecutos Imperatores obtinuisse probat Inscriptio ex Sponii Miscell. Sect.8. Eminentissimo Scriptori laudata.

IMPERATORES: CAESARES
L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX:
AVG. ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS.
TRIBVNICIA. POTEST. VI. IMP. XI. COS. II. PROCOS. P. P.
ET. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. FILIVS. EIVS.
VIAS. ET. MILIARIA. PER. Q. VENIDIVM. RVFFVM:
LEG. AVG. PR. PR. PRAESIDEM. PROVINCIAE. SYRIAE
PHOENIC. RENOVAVERVNT.

Sed & idem observat in Dionis Excerptis apud Leunclavium pag. ipsi 988. Imperatorem Macrinum dignitatem Senatoriam Mario Secundo detulisse, qui etiam eidem dicitur τῆς Φοινίκης προστάτης. *Phœniciæ Præses*. Idipsum de Palestinæ Provincia ejusdem doctissimi Cardinalis beneficio agnoscendi facultatem habemus, ex his, quæ ille colligit Diss.5. nonnullos ejus Provinciæ

 Præ-



Præſides numerans, qui ſub Trajano, & Hadriano Jus dixere, ſed & recentiùs admodùm vidit ex Euſebii libro de Martyribus ſex annorum ſpatio tres Paleſtinæ Rectores præſediſſe, Flavianum videlicet, Urbanum, ac Firmilianum. Deſcripſerat autèm Diſs.3. cap.1. ex Gruteriano Theſavro pag.1091. 5. infraſcriptam Inſcriptionem

Q. ATRIO CLONIO.
LEG. AUG. PR. PR.
PROVINCIARUM.
THRACIÆ. CAPPADOCIÆ.
SYRIÆ. MAJORIS.
HISPANIÆ. CITERIORIS.
CLAUDIUS. JUSTUS.
LEG. VII. GEMIN. P. F.
SEVERIANÆ. ALEXANDRINÆ.
PRÆSIDI. ABSTINENTISSIMO.

cuì illuſtrandæ in rem noſtram hæc addit; *hoc epigramma poſitum eſt poſt Imperium Alexandri Severi, à quo Legio ſeptima Severianæ Alexandrinæ cognomina tulit. Hinc autèm colligimus id temporis Syriam ſuperiorem uni Legato Proprætori paruiſſe, cùm alii ab eodem diſtincti Legati Phœniciam, ac Palæſtinam adminiſtrarent*. Placuit ex tanti nominis Scriptore proficere, ut liquidò conſtaret per tria ferè priora Chriſtianorum ſecula ex Præſidis Syriæ Juriſdictione, non potuiſſe Antiochiam cenſeri caput, niſi Regionis

gionis

gionis non admodùm magnæ, licèt minimè liqueat an Antiochia adeò ſola circumpoſitarum Urbium Metropolis dicta ſit, ut ex cæteris nulla eodem encomio ſit ornata, quandoquidèm in Syrophœniciæ Provincia præter Tyrum, Damaſcus etiam Metropolis fuerit. Certè Laodicea ad Mare, Antiochiæ vicina, nec pluſquam LXV. milliaribus diſtans, poſtquam ſemèl Severo imperante Metropolis nomen obtinuit, quòd contrà Peſcenium ſteterit, illud retinuit, ut conſtat ex nummis Getæ apud Vaillantium cum adjuncto Septimiæ SEPT. COL LAOD. METPO. & in Elagabalo COL. LAODICEA. METROPOLEOS. & apud Occonem, ac Mediobarbum Philippi ſenioris ævo, in quorum tribus, literis græcis Imperatoris epigraphe ſcripta ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟC. CEB. in averſa parte latinæ uſurpantur COL. LAOD. METROPOLEOS. Δ. E. at in Phœnicia non modò Tyrum, & Damaſcum, ſed & Sidonem, ac Emiſam Metropoles laudatas videre eſt, hanc quidèm in Elagabali nummis apud Vaill. uno cum epigraphe ΜΗΤΡΟ. Κ. ΕΜΙCΩΝ. altero cum elogio ΜΗΤΡΟ.ΚΟΛ.ΕΜΙCΩΝ. illam autèm apud eundem ſimiliter in Elaga-

 gaba-



gabalo COL. AVR. PIA. METRO. SIDON. cum aliis ſubſequentibus. Antiquior autem, quàm fortè crediderint clariſſimi Viri, Syriæ diviſio in quatuor Provincias, Syriam videlicet Comagenem, Syriam Antiochenam ſivè ſuperiorem, vel majorem, Syriam Phœnicem, ac Syriam Paleſtinam; quarum Comagenes omnium antiquiſſimè ſuo Rectori paruit. Licèt enim probabile cuipiam videri poſſit non ſtatìm Rectorem proprium miſſum, ſed vivente Romæ Antiocho cum filiis, Proprætori Syriæ interìm paruiſſe, dùm ille aliquandiù ſpe lactaretur ſe in Regnum amiſſum reſtitutum iri, nunquàm tamèn Metropolis dignitatem amiſit Samoſata. Hìnc Plinio lib.5. cap.24. *Comagenes caput Samoſata*, & Flaviæ nomen, cum prærogativis autonomiæ, & Aſyli, & ſacræ, habitum à Veſpaſiano, tàm certum eſt, quàm quod certiſſimum. Attributa autem hujuſmodi apparent ex nummis Holſtenio relatis in notis ad Stephanum ex Gazis Mediceis, quos & illuſtrat prælaudatus celeberrimus Cardinalis Diſs. 2. quoſque apud eoſdem videre eſt. Nonnulla hìc adjicienda eſſent de Cæſareæ Paleſtinæ Metropolitano decore, at ſatiùs exiſtimo

mo mox afferenda reſervare ad ea, quæ de Judæorum ſtatu Apoſtolico ævo vigente, dicenda ſunt.

XII. Porrò Syriæ Præſes licèt antè Hadriani Imperium Phœniciæ, Cœlæ, & Antiochenæ Syiriæ jus diceret, id recentiùs ex rerum Syriacarum mutatione habuit, & dùm Reges, Tetrarchæque ſtetere, anguſtioribus limitibus imperavit. Plinius lib. 5. capit. 23. in Syria Cœlæ Tetrarchias recenſet *Nazaræorum* amne Marſia ab Apamia diviſam, *Granucomatas duas*, *Mamiſeam*, ac prætereà *in regna deſcriptas barbaris nominibus* XVII. Regna etiam Chalcidis, ac Emiſæ. Scribebat autem Plinius antè VI. Veſpaſiani Conſulatum, qui incidit in Ære vulgaris annum 75. Antiochia porrò prima videtur innui ejus Syriæ, quæ proindè Antiochena dicta eſt, quæque cap. 21. brevi periodo deſcribitur, nec in ea aliæ laudantur Urbes pratèr *Antiochiam* ipſam *epidaphne cognominatam Oronte amne diviſam, & in promontorio, Seleuciam liberam Pieriam apellatam*. A Syria Antiochena capite præcedenti poſtremis verbis, videtur Syriam illam etiam diſtinguère, quæ ad oram Maris à Phœniciæ finibus uſquè ad Orontem extendebatur, in



in qua Laodicea ad Mare; hæc enim habet; *hinc rursus Syria*, ubi videlicet Bargilus Mons incipit *desinente Phœnice*. *Oppida Carne, Balanea, Paltos, Gabale: promontorium, in quo Laodicea libera, Diospolis, Heraclea, Charadrus, Posidium*. Qui tamen Proprætoris Syriæ Jurisdictionem Apostolorum ævo non ejus amplitudinis, quàm asservere Viri clarissimi, video, ex uno in aliud cogitatum pergens, Antiochenæque, Syriæ limites angustos videns Cilicia videlicèt, Comagenes Regno, & Oronte fluvio circumscriptos, cogor in eam sententiam descendere, ut credam id ex inducta Provinciarum Romani Imperii forma fluxisse, cùm primùm Pompejus Syriam universam provincialem fecit. In varios itàque Conventus novam Romanorum Provinciam divisam credo, quorum unus Antiochiæ ipsi deputatus fuerit, qui Antiochenæ Syriæ nomine nuncupatus sit, quòd circumpositæ Urbes, & Oppida in eam convenirent. Variæ autem subindè politicæ mutationes, quas, Regibus, Tetrarchisque commissa, passa est Syria, licet effecerint, ut Conventuum loca penè in eorum temporum Scriptoribus delitescant, nihilominùs eos à prin-

cipio

cipio inſtitutos nonnulla ſunt, quæ probent. Pompejus Hieroſolyma capta, factaque ſtipendiaria, & Scauro relicto, qui cum duabus legionibus regioni imperaret, Romam abiit. Aliquantò autem poſt, uti Joſephus Antiquitatum lib.14.cap.10. narrat, Gabinius Imperator Roma in Syriam venit, qui Alexandrum Ariſtobuli filium Regnum recuperare conantem devicit, & Judæam omnem penitùs ſubegit, & in provinciæ formam redegit. Id ille de more fecit regionem in Conventus dividens ea forma, quam Joſephus ipſe deſcribit. *Deindè*, inquit, *conſtitutis quinque juridicis Conventibus in totidem æquales partes totam provinciam diſtribuit; ità ut alii jura peterent Hieroſolyma, alii Gadara, Amathuntem alii, quarti verò Hiericuntem, quinti Sephoram, quod eſt Galilææ oppidum, ſicque liberati Dominis, ſub Optimatum dominatione degebant.* Mirùm Viros eruditione præſtantes ex hoc Jeſephi loco, & ex altero de Bello lib.1.cap.6. docere à Gabinio Synedria Judæorum primò eſſe inſtituta, cùm evidens omninò ſit per eam Conventuum inſtitutionem, formam Romanarum provinciarum inductam eſſe, quæ Regali poteſtate adempta, Optimatibus Conven-


tus



tus componentibus, rerum gerendarum Jus præbebat, licèt à Provinciæ Rectore dependens. Cùm autem Josephi argumentum non extenderetur nisi ad res Judaicas, nil de aliis Syriæ Conventibus à Pompejo; vel à Gabinio institutis, dixit, & rerum Romanorum Scriptores, cùm rem suis temporibus sàtis notam scirent, ut indicarent Conventus institutos, sufficere abundè crediderunt, si Regnum, Regionemue in provinciæ formam redactam scriberent; redigi enim in Provinciam, illis temporibus, cùm qui maximè de Romana libertate opprimenda cogitabant, illi servandæ se operam navare credi volebant, idem erat, ac Regioni subactæ Juris dicendi formam illam inducere, qua cæteræ Senatus, Populique Romani Provinciæ regebantur. Observandum autèm est Conventuum hujusmodi Urbes Metropoles etiam dictas fuisse, quòd de Gadara, ac Sephorim à Josepho loco citato recensitis, indubitatum est; etenim ille idem Bell. lib. 5. cap. 3. Gadaram vocat transamnanæ *regionis Metropolim munitissimam*, & in libro de Vita sua Justum Tiberiensem inducit in Populo seditionem excitantem eo adducto argumento, quòd Tiberia-

beriadi, Metropolis honor deberetur, dicentemque; *mox Sephorim, ex quo Romanis parere cœpit, reliquæ regioni præpositam*. Vides erudite Lector, quot ex capitibus, & quot Urbibus in Syria, Metropolis nomen tributum sit. At operæ prætium est rimari an Conventuum Provincialium signa in aliis Syriæ partibus extrà Palestinam, & Decapoleos regionem, ex veterum lectione nancisci valeamus. Diodorus Siculus lib. 16. Phœnicis Conventum celeberrimum laudat. *Celebris in Phœnicia Urbs est Tripolis consentaneam sibi appellationem habens tres enim in ipsa Urbes continentur stadii intervallo dirемptæ, una Aradiorum, altera Sidoniorum, tertia Tyriorum, cognomentum habet. Maximam hæc inter omnes Phœniciæ Civitates dignitatem obtinet; ut potè in qua Phœnicum Senatus convenire, deque rebus maximis consilia tractare solet*. Conventus etiam prærogativam ex conjectura mihi videor videre tributum Laodiceæ ad Mare, etenìm Syriæ pars illa ad Meridiem vergens inter Phœniciæ Urbes, ac Orontem fluvium sita, nullo modo ad Antiochenam Syriam spectasse ex Plinio vidimus. Quod Hirtius de Bello Alexandrino cap. 65. ait, Julium Cæ-

sarem



sarem post Pompeii obitum, dùm terrestri itinere progrederetur contrà Pharnacem, *commoratum ferè in omnibus Civitatibus, quæ majore sunt dignitate*, ità intelligo, ut credam pro more id Civitatibus tribuisse, quæ ideò majore inter cæteras dignitate erant, quòd circumpositarum Conventibus dicatæ fuissent. At inter eas Laodiceam extitisse illud evincit, quòd noverim ex Dione lib. 47. Laodicenos apprimè Julio ejusque beneficiis obstrictos. Præterea æmulam Antiochiæ Laodiceam nemo est, qui nesciat. *Laodicea*, inquit Herodianus lib. 3. *Antiochenorum odio, Tyrus verò in Phœnice. Beritis infesta, nuntiata Nigri fuga sublatis illius honorificis titulis, Severo prosperè acclamarunt*. Nec novum Laodicenorum odium in Antiochenses, vel ex partium studiis ortum, sed, ut Theodoretus Cyrrhi Episcopus lib. 5. cap. 19. ait, *Laodicenses ab antiquis jàm temporibus adversùs Antiochenos gravi invidia exarserant*. Odium hujusmodi diuturnioris temporis facilè concidisset si Laodiceæ Antiochia jura præscripsisset, seù ad hujus Conventum illa spectasset, quarè Laodiceam, quippè inter circumpositas ab Antiocheno Conventu, sivè, ut cum Plinio loquar,

quar, ab Antiochena Syria distinctas Civitates, celeberrima, ratione suadente, specialis Conventus Urbem existimo. Pondus hæc non modicum acciperent si verum esset, quod eruditus Vaillantius pluriès inculcat, coronam videlicet turritam in nummis, Urbem circumpositæ regionis primam significare, Laodiceam enìm, de qua agimus tali corona ornari in nummis, constat etiam sub Trajano, multo videlicet tempore anteqùam Septimio Severo rerum potito, privilegiis Antiochiæ abrogatis, frueretur. At de Syriæ Provincia satis hucusquè tractatum est, nunc de Ægypti Prefectura agendum.

XIII. In Imperii Constantiniana divisione, Ægyptus tertio loco numeratur, videlicèt post Asiam Proconsularem, & Orientalem Diœcesim. Ejus ratio petenda est ex veteri Imperii forma, etenìm earum Provinciarum, quæ Asiæ totius celeberrimæ habebantur, quamvìs Ægyptus ob annonæ, & situs rationem maximè, præ cæteris momenti haberetur, inspecta tamen Rectorum dignitate, aliis postponebatur. Dio lib. 51. Augustum narrat, qui ad alias sibi reservatas Provincias Patritios mittendos censuit Pro-

præ-



prætoria poteſtate inſignes, Ægypto nullum ex Senatoribus præficere voluiſſe, quinimò cuique ex Patritiorum ordine interdixiſſe Ægypti ejuſdem ingreſſum; *cùm enim*, ait, *ad animum revocaſſet, quantam in Urbibus, ac pagis populi aleret multitudinem, quàmque inſtabiles incolarum animi eſſent, & quomodò Italiam frumento aleret, opibuſque polleret, non modò ex Senatoribus neminem præfecit, ſed ne morari quidem in ea paſſus eſt, niſi venia impetrata.* Tacitus Ann. lib. 2. & Equites illuſtres excluſos dicit non modò à regimine, ſed & ab ingreſſu in Ægyptum; *Auguſtus inter alia dominationis arcana, vetitis niſi permiſſu ingredi Senatoribus, aut Equitibus illuſtribus Romanis, ſepoſuit Ægyptum.* Id ab Alexandri Macedonis exemplo acceptum credit Arrianus lib. 3. *ille enim*, inquit, *in plures Præfectos Ægyptum diſtribuit, miratus & naturam regionis, & munimenta, neque tutum ſibi exiſtimans unius Imperio totam Ægyptum credi*, & paulò poſt, *& Romani mihi videntur ab Alexandro docti cuſtodire Ægyptum, nec quemquam Senatorii ordinis eò mittere, ſed aliquem ex Equeſtri.* Ob eaſdem cauſas uti Suetonius teſtatur Julius Cæſar Dictator *Regnum Ægypti victor, Cleopatræ*

patræ, fratrique ejus minori permiſit, veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem Præſidem nacta, novarum rerum materia eſſet. Hinc patere crediderim Præfecti Auguſtalis (hoc enim nomine vocabatur) dignitatem in Auguſti, & in Succeſſorum civili regiminis forma, non modò ſub Proconſulum, ſed & ſub Proprætorum dignitate fuiſſe, aliàs ſi cæteris hujuſmodi, prærogativis, & officio præſtaſſet, *dominationis arcanum*, quod ait Tacitus, haud fuiſſet, Senatores, & Equites illuſtres ab Ægypti regimine arcere.

XIV. Novi me hìc celeberrimi, & magni nominis Scriptoris ſententiæ opponi, & eadem, qua illa via pergentem, in oppoſitum tamen toto, ut ajunt, cœlo, terminum, tendere. Ille ſiquidèm eiſdem Dionis, & Taciti teſtimoniis probare intendit, Præfectum Auguſtalem cæteris Provinciarum Præſidibus anteiſſe. At res ipſa clamat aliam omninò Auguſto mentem fuiſſe, qui ut caveret, ne novis rebus moliendis Præſidis dignitas, & ea, qua ex Populi Romani jure Senatores gaudebant, auctoritas, anſam præberet, ſibi Ægyptum ſepoſuit, ſuo illùc nomine inferioris in Republica ordinis ho-



minem missurus, inter Procuratores potiùs Cæsaris recensendum, quorum aliqui Proconsulum, & Proprætorum loco, in Provincias minores sunt missi. Certum autem est apud Procuratores, qui in Provincias Augusti vice mittebantur, cùm è Senatu non legerentur, actionem legis non fuisse, actio enim legis apud Magistratum tantùm, & pro Magistratu erat, quarè acta apud eum, qui non esset Senator, licèt Præsidis locum teneret, avocari poterant, ut recognoscerentur, ad Principem, aut ad Senatum. Voluit quidèm Augustus, ut Præfectus Augustalis Ægypti id suprà cæteros Procuratores haberet, ut apùd eundem lege agi posset; Tacitus Ann. lib. 12. &c. *Augustus apùd Equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum proindè haberi jusserat, ac si Magistratus Romani constituissent*; at ex his nullo modo consequitur Præfectum hujusmodi digniori loco positum, quàm essent Proconsules, ac Proprætores, qui Magistratus juribus, ex lege, non ex privilegio gaudebant. Illud tantùm per id factum, ut Præfectus Augustalis post Proconsules, & Proprætores digniori loco haberetur inter Cæsaris Procuratores. Id ipsum Claudio imperante

rante cæteris omnibus conceſſum eſt, licèt in eadem Provincia degerent ubì Proconſul, Proprætorve, licèt Provincia ad Senatum Populumque ſpectaret, licèt demùm Procuratores ex libertino genere aſſumpti eſſent, undè Taciti lacrymæ allato loco; *Claudius omne tradidit, de quo totiens ſeditione, aut armis certatum eſt, cùm Sempronìis rogationibus equeſter ordo in poſſeſſione judiciorum locaretur, aut rursùs Servilii leges, Senatui judicia redderent*. Indè ne igitur factum eſt, ut Procuratores hujuſmodi, etiam ex Libertinis aſſumpti, digniori loco eſſent, quàm Magiſtratus? non credo. Coæquati ad ſummum Senatoribus, non ipſis præpoſiti; quarè Præfectus Auguſtalis Ægypti pro Cæſare degens ex civili Imperii forma non dignior Proprætore Antiochiæ fuit, ſed æqualis illi ad ſummum dignitatis, ſi tamen æquare dicendus eſt, qui quod alter ex lege habet, ipſe ex privilegio exerceat. Porrò Præfectum Ægypti, qui ſe Senatoribus componeret, Alexandrum, irriſorio ſcommate Juvenalis Alabarcham nominat Sat. 1. tamquàm Scripturarium exigendo vectigali de mercibus, quæ ex Arabia in Ægyptum deferebantur, præpoſitum, qua etiam irriſoria



frafi Cicero ad Atticum M. Antonii in Ægypto moram fugillaverat, tamquàm Publicani, quod munus equeftre fuiffe in Provinciis, norunt Viri eruditi.

XV. Nunc de Ægyptiacæ Præfecturæ finibus agendum eft. Ammianus lib. 23. fuorum temporum more Ægyptum Diœcefim appellat, & Provinciarum nomine vocat regiones, quas veteres Diœcefes appellaviffent, quæque fuo tempore Ægyptum folidam componebant. Plinius lib. 5. cap. 5. & ipfe pro fui ævi ratione Ægyptum in varios nomos diftinctam defcribit. Strabo id à Regibus fluxiffe oftendit lib. 17. *Regio*, ait, *initio in Præfecturas divifa fuit, quas nomos vocant; Thebaica quidem in decem; quæ verò in Delta in totidem; intermedia autem in fexdecim: & (ut quidam volunt) tot erant hujufmodi Præfecturæ, quot aulas Labyrintus habebat, quæ circiter triginta erant. Rurfùm hæ Præfecturæ divifæ fuere, majore enim è parte in Toparchias divifæ fueruut; Toparchiæ rurfùs in portiones alias, quarum minimæ arva erant.* Conferendi funt Ammianus, & Plinius, ex quibus conftabit quantùm diftaverit, vetus Ægypti politia, ab ea, quæ recentiùs per Conftantinum inducta eft. Ammianus

nus prætereà ampliorem se scribente narrat Ægypti Diœcesim, quàm fuerit Veterum ævo ejusdem Ægypti Provincia. *Tres* inquit *Provincias Ægyptus fertur habuisse temporibus priscis, Ægyptum ipsam, & Thebaidem, & Lybiam, quibus duas adjecit Posteritas, ab Ægypto, Augustamnicam, & Pentapolim à Lybia sicca disparatam.* Notitia dignitatum utriusque Imperii, & Libellus Provinciarum, Ammiano proindè recentiores, sextam adiiciunt Provinciam, Arcadiæ nomine nuncupatam. Ægyptus itaque, quæ Apostolorum ævo Ægypto ipsa, Thebaide, & Lybia, 36. nomos complectebatur, angustior fuit, quàm post Constantini ætatem, & amplior postmodùm, seù aliàs divisa, Arcadii, & Honorii ævo. Plinius loco citato Cyrenaicam sivè Pentapolim Africæ tribuit, sicùt, & Lybiam Mareotim, quam Ægypto conterminam laudat. Eodem sensu Dionysius Periegetes Nilum ait separare Lybiam ab Asia.

"Ος ῥα τε καὶ Λιβύην ἀποτέμνεται Ἀσίδος αἰής
Ἐς Λίβα μὲν Λιβύην, ἐς δ' αὐγὰς Ἀσίδα γαῖαν.

Qui certè & Libyam dirimit Asiatica ab ora.
In Libem quidem Libyam, in Ortum verò Asiaticam terram.



Prætereà Africam Cyrenaicam, quæ est ipsa Cyrene, sivè Pentapolis, Augustus inter Senatus Provincias reliquit, Ægyptum verò sibi sepofuit, ut ex Dione cognovimus suprà. At de Ægypti finibus Plinio consentiunt alii veteres Geographi Solinus, Mela, cæterique, inter quos Strabo audiendus, qui lib. 17. enarrato, quòd Reges, & Cyrenaicam sub se habuerunt addit; *Romani, qui posteà successerunt, provinciam Ægyptum prioribus finibus incluserunt*. Infrà libro eodem Cyrenem Africæ deputat Catabathmum usquè.

XVI. Porrò speciale illud est (redeundum est enim ad regiminis Ægyptiaci formam) & soli Ægypto tributum, ut quamvìs in Provinciæ formam redacta esset, in plurimis tamen eodem modo regeretur, quo sub Regibus olìm. Regimen ipsum Strabo libro suprà laudato omnium accuratè describit, quarè omninò audiendus est, & locus, quamvìs minimè brevis, integer describendus ex Xylandri versione ab erudito Casaubono emendata; *Nunc*, inquit, *Provincia est, & tributa maxima pendit, ab hominibus modestis administrata* ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη, *qui in eam mittuntur. Qui mittitur*

Regis

Regis loco est; ei subest Dicæodotes, idest juri dicendo Præfectus, qui judicia exercendi pleraque potestatem habet. Tùm alius ἴδιος λόγος, *nimirùm, qui peculiares rationes curat. Is in ea inquirit, quæ sub alterius potestate non sunt, sed seorsìm ad Cæsarem recidunt. Hos comitantur Cæsaris Liberti, & Administratores, quibus majora, & minora negotia committuntur. Sunt etiam tres militum cohortes, quarum una in Urbe, reliquæ in agro versantur: præter has novem cohortes Romanorum, tres in Urbe, tres in finibus Æthiopiæ præsidio circà Syenem collocatæ, & reliquæ tres in cætera regione. Sunt etiam tres Equitum turmæ per loca opportuna, eodem modo dispositæ. Ex indigenis magistratibus in Urbe,* κατὰ πόλεις (in scriptis κατὰ πόλιν per singulas urbes) *est Exegetes, sivè Interpres, qui purpuram gestat, & patrios honores habet, & ea curat, quæ Urbi sunt necessaria. Itèm commentariorum Scriba, & Judicum Præfectus; quartus est Prætor nocturnus. Hi Magistratus etiam tempore Regum erant, sed cùm Reges malè viverent, horum vitio, & injustitia etiam bonus urbis status corrumpebatur, &c.* & paulò infrà; *Romani multa pro viribus emendarunt, urbe, ut dictum est, composita* κατὰ τὴν χώραν ἐπιστρατηγοὺς,

τίνας, καὶ μοναρχας (legendum tamen monemur νομάρχας) καὶ ἐθνάρχας καλουμένους ἀποδείξαντες πραγμάτων ὀυ μεγάλων ἐπιςατεῖν ἠξιωμένους; & *quibusdam pro Imperatoribus* (Ducibus) & *Monarchis* (Nomarchas potiùs vertendum, sivè nomorum Præfectos juxtà correctionem) & *Ethnarchis per regionem constitutis, quibus tamen haud magna negotia permittebantur.* Varia hìc omnia à cæterarum Provinciarum regimine spectantur, ac diversa, quippè ex deletorum Regum politice retenta pleraque. Verùm illa retineri haud potuerunt, quìn & quàm maximè immutarentur, & diversam omninò rationem induerent. Sicut enim Duces, Nomarchæ, Ethnarchæque, quod ait Strabo, per Provinciam dispositi minimè ea potestate utebantur, qua olìm sub Regibus, sic & Præfectus Augustalis quamvìs loco Regis esset (ut cum Strabone Tacitus Hist. lib. 1. cap. 11. aliique loqvuntur) minimè regali potestate imperabat. Quammaximè certè se à Regis dignitate distare intelligebat, Flaccus ille, quem libro integro Philo insectatur, quemque in Agrippam Judæis à Cajo Regem datum, iritabant Ægyptii illis vocibus; *tua pernicies erit hic advena. Majore, quàm tu splendore, ac fa-*

ac fastu septus est, &c. nàm etiamsi Cajus permitteret, atque adeò cogeret, debuerat deprecari hanc profectionem ne sua felicitate officeret Præsidi, suo splendore obscurando ejus gloriam. His ille auditis magis etiam turgebat, quàm anteà, &c. Porrò idèm Philo ibidem ostendit Nomarcharum, seù Præfectorum per Ægyptum Juri dicendo degentium, ac per consequens ejusdem Præfecti Augustalis, cujus illi vices gerebant, curas plerasque versatas fuisse circà tributorum, & vectigalium rationes, agens enim de improbitate Lamponis, alterius videlicet ex Flacci accusatoribus, ait; *non enim erat possibile Provinciæ amplissimæ Præsides meminisse negotiorum omnium, affluentibus aliis super alias causis privatis atque publicis: præsertìm cùm non judiciis tantùm præessent, sed etiam rationibus tributorum, & vectigalium, quibus major anni pars impendebatur.* Hinc initio Libri laudans Flaccum, ab eo exorditur, quod ad tributa, & vectigalium rationes spectabat, ait autem, *ità ut vix pernoscantur ab his, qui totam ætatem eis impenderunt.* Hæc autem ejus generis fuisse quod dixi, ostendunt, quæ subsequvuntur; *verùm ista, quæ ad accipiendas, reddendasque rationes pertinent,*

vel ad

vel ad dispensationem redditum, tametsì necessaria, nullum specimen ostendunt animi digni, qui præsit aliis. Ex his omnibus ritè perpensis agnoscimus, quòd prima, potiorque cura Alexandrini Prefecti ea erat, qua Cæsaris Procurator demostrabatur, quarè aptè ejus regimen apud Græcos Scriptores verbo ἐπιτροπεύειν explicatur, ejusdem significationis, cujus nomen ipsum Procuratorum Cæsaris, quos Græcè ἐπιτρόπους dicunt, summaque verborum proprietate ex Eusebii Hist. lib. 8. capite 9. quibus Philoromus vocatur ὁ κατ' Ἀλεξάνδρειαν βασιλικῆς διοικήσεως ἐγκεχειρισμένος doctissimus Valesius vertit, *qui Procuratoris summæ rei apud Alexandriam gerebat Magistratum.* At erant & plura hujusmodi, de quibus Præfectus Augustalis non cognoscebat, sed seorsim uti specialia ad Cæsarem spectantia ἴδιος λόγος, de cujus officio Strabo in præallatis. Uti autem Procurator inter alios omnes Procuratores eminebat, sic Proconsulibus, & Proprætoribus dignitate inferior erat, quod ab initio dictum fuit, quarè, & in recentiori laterculo, & Comiti Orientis subiiciebatur, & titulis eidem inferior erat, ut ex Codice Theodosiano apertè patet.

XVII.

XVII. Magiſtratus Indigenarum in Nomis, & Urbibus Ægypti, quali ſub Regibus auctoritate, licèt in multis circumſcripta, perſeveraſſe uſquè ad Severi ætatem ex Spartiano intelligimus. At hujus verba ritè ſunt perpendenda ubì de laudato Severo ait; *deindè Alexandrinis jus Buleutarum dedit, qui ſinè publico conſilio, ità ut ſub Regibus antè vivebant, uno Judice contenti, quem Cæſar dediſſet. Multa prætereà Is jura mutavit*. Etenìm illud primò ex his conſequitur non modò Alexandrinis, ſed & cæteris Ægypti nomis, jus Buleutarum, ſivè Decurionum, quorum Collegium, Romanorum Senatui reſpondebat, conceſſum; ſecundò plura alia immutata, & ad terminos, ut ajunt, juris Provinciarum redacta; demùm non ità hæc eſſe intelligenda, ut credamus antè Severi ætatem nullum omninò Indigenarum conſilium adhibitum, nec ullum apud eoſdem tùm Alexandriæ, tùm in cæteris Ægypti Urbibus, Magiſtratum fuiſſe; oppoſitum enim ex Strabonis teſtimonio apparet ſuprà relato, & Philo ex eo capite Flaccum laudat, quòd in iis, quæ majoris momenti eſſent, Urbis Optimates audiret; *graviores* inquit, *cauſas judicabat cum*

Opti-

Optimatibus. Id etiam & in Præfecturis actum ostendit vera Strabonis lectio, ubi Magistratus Indigenarum fuisse ait κατὰ πόλιν, quod verti debet; *in singulis Civitatibus*. Illud à Severo actum est, quòd cum Ægyptus Magistratus etiam Indigenarum ex Augusti institutione habuisset, qui in plerisque veterem Regum morem retinebant, Is ad Romanam in Provinciis formam illos reformavit. At Indigenarum Magistratus singularum Urbium sicuti singulis Præfectis subiiciebantur, & Præfecti omnes, Præfecto Augustali; inter se tamen æquali jure fruebantur, ac proindè nullo modo cæteri, Alexandrinis Magistratibus parebant. Hinc Alexandria decus omne ex jure fluens suprà reliquam Ægyptum habuit ex Præfecti Augustalis Jurisdictione, quæ loco regalis erat, nullum autem ex suis magistratibus Indigenarum. Illud autem his addendum, quòd cùm Augusto imperante plura à Provinciarum jure aliena in Ægypto ex veteri Regum regimine retenta sint, paulatìm tamen etiam antè Severum nonnulla ad Romanorum ingenium sint introducta. Inter cætera notabile est Jus monetæ cudendæ; notum enim est Ur-
bibus

bibus quovis nominė Romano Imperio ſubjectis, officinas Monetariorum ex Auguſtorum indulgentia conceſſas, qua de re teſtes habemus plures nummos, quorum inſigniores videre eſt in hanc rem apud erudititiſſimum Spanhemium de Præſt., & Uſu Numiſm., Diſs.6. Doctiſſimus in Re nummaria Vaillantius poſt Hiſtoriam Ptolomæorum adiicit appendicem, quam appellat *Ægyptum numiſmaticam*, in eaque recenſet XXIX. Urbium Ægyptiarum numiſmata, quarum ferè omnes Præfecturarum fuere capita, ſeù Metropoles, uti ex Strabone, Ptolomæo, Plinio, aliiſque probat ipſe Clariſs. Scriptor. Omnium primum Numiſma Alexandriæ eſt ſcalptum, & literæ in eo ſignatæ L. A. indicant Othonis annum Imperii primum. Reliquarum XIX. referunt in averſa parte cum Urbis nomine literas L. IA. anno undecimo, & in altera parte nomen Hadriani ATT. KAI. TI. AIA. AΔPIANOC. Una eſt Coptitarum Trajani, cum literis L. IΓ. anno tertio decimo; quinque Antonini Pii cum ſignis L. IH. anno decimo octavo; una demùm M. Avrelii M. ATPHAIOC. KAICAP. abſque literis annorum indicibus. Exiſtimant Viri in his verſatiſſimi priorum

rum

rum nummorum numerales literas Hadriani adventum in Ægyptum ſignificare, & illum per hæc numiſmata probari, quibus eſt, qui addat Urbes illas ideò Hadriani honori nummos ſcalpſiſſe, quòd de Provincia benemeritus fuerit, quarè & dicitur RESTITUTOR Africæ. Poſtremum hocce non inficior, at quòd dicatur Hadrianus *Reſtitutor Africæ* ad rem Ægyptiacæ Provinciæ non facit, quæ per ea tempora non Africæ, ſed Aſiæ deputabatur. Quòd autem per hoſce nummos Hadriani in Ægyptum adventus ſignificetur, qui anno illius Auguſti undecimo acciderit, difficultate non caret, quamvis aliàs ille eo anno in Ægypto degere potuerit, quandoquidèm id non ſignificant literæ numerales in aliis nummis M. Antonini Pii, qui certè anno Imperii ſui decimo octavo in Ægypto non fuit, etenìm Julio Capitolino narrante *in ſuis propriis fundis vixit variè, ac pro temporibus: nec ullas expeditiones obiit, niſi quòd ad agros ſuos profectus eſt ad Campaniam, dicens gravem eſſe Provincialibus comitatum Principis etiam nimis parci; & tamen ingenti auctoritate apùd omnes gentes fuit, cùm in Urbe propterea ſederet, ut undiquè nuntios medius,*

ut po-

ut potè citiùs poſſet accipere: Sed nec Trajanum anno Imperii ſui tertio decimo, quo ex Syria in Parthos proceſſit in Ægyptum veniſſe ex ejus Actis veriſimile videtur, nec ex allato nummo probare tutum eſt, cùm regula, ex Antonini Pii relatis, fallax ſit viſa. Unus inter Hadriani nummos excipitur, ex quo Imperatoris in Ægyptum adventus probatur, non tamen ex literis numeralibus in eo, ut in cæteris ſcalptis L. IA, ſed ex Imperatoris equitantis figura ad ſiniſtram verſi, utì adſtruendæ ejuſdem rei, benè allegantur ejuſdem Auguſti nummi Romæ ſignati, inſcriptique *Adventui Auguſti Alexandriæ*, malè verò qui *Reſtitutori Africæ* inſcribuntur, ut ſuprà notatum eſt. Cùm autem numerales notæ in tot Hadriani nummis ſignatæ, quæque ad eundem annum ſpectant, minimè tempus ſignificent, quo ille in Ægyptum venit, reliqvum eſt, ut ad privilegium aliquod, anno ejus Auguſti undecimo Urbibus illis impertitum referri debeant, & eodem modo explicandus ſit Coptitarum nummus Trajani anno tertio decimo ſcalptus, & intelligendi quinque reliqui anno Antonini Pii decimo octavo. Quidni Jus cudendæ monetæ illis Civita-

vita-



vitatibus annis ſingulorum Auguſtorum in nummis ſignatis, conceſſum intelligamus? certè nondùm earum Urbium nummi Trajano antiquiores Antiquariis innotuere, & in M. Avrelii Menelaitarum altero, nullæ numerales literæ ſignantur, quòd id decoris habuerint anteà Menelaitæ. At ut ut aliud quodpiam beneficium eodem tempore pluribus, ac ferè omnibus Ægypti Urbibus, quæ Præfecturarum capita erant ab illis Imperatoribus præſtitum ſit, beneficium illud tale fuit, quo à veterum Regum politica forma receſſerunt, acceperuntque quod commune aliis Imperii Romani Provinciis fuerat, ac per id à forma per Auguſtum primò introducta receſſum eſt. Verùm ſuprà omnes anteactos Auguſtos privilegia, quibus Romana quodammodò fieret Ægyptus, illi contulit Severus, ut ex Spartiano vidimus, ad quod referri debet quòd *Coëranus primus ex Ægiptiis hominibus cooptatus in ordinem Senatorium factus eſt Conſul, ut Pompejus nullo antè geſto Magiſtratu* uti Dio Xiphilini teſtatur. Nec omitti debet, videri poſt Severum admiſſos & Patricios, qui Præfecti Auguſtales in Provincia eſſent, & certè id factum ſub Alexandro pro-

probat Dio, qui se & Consularem, & Ægypto Præpositum narrat.

XVIII. Ex his, quæ usquè modò de tribus Romani Imperii Provinciis principibus, earumque politico regimine disseruimus, facilè conjici potest, qualis & in cæteris Juris forma viguerit, eo maximè tempore, quo per Apostolos Ecclesiæ sunt constitutæ; nec enim vacat, aut operæ pretium est de singulis sermonem habere, cùm in tribus Provincis illis, de quibus actum est, nobiliores Orientalis Ecclesiæ Cathedras primo illo Apostolorum ævo fundatas noscamus, & de cæteris rursùs opportuna dicendi occasio futura sit. Nunc demùm de celebritate Urbium brevitèr est agendum pro hujus argumenti ratione, & de earundem frequentia, felicitate, ac cæteris hujusmodi, quæ probè distinguenda sunt à Præsidum, Rectorumque dignitate, & civili regendarum Provinciarum typo. Ità Alexandria, quæ in civili forma Ephesо, Antiochiæque postponebatur, illis tamen præstabat, ob pomœrii amplitudinem, ob civium frequentiam, ob annonæ abbundantiam, ac ob reddituum ex mercibus, vectigalibusque, magnitudinem. At Ægyptus quantùm Ro-

manæ amplitudini neçessaria esset, undè Alexandriæ decus nascebatur, narrante Josepho de Bello lib.5.cap.11. dignosci potest. Ad hæc potiùs, quàm ad Præfecti Augustalis prærogativam, quod voluerunt celeberrimi Scriptores, aspiciebat Nero, cùm de sibi imminente casu solicitus, tradente Svetonio, cogitabat *Parthosne, an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, pròque rostris quanta maxima posset miseratione veniam præteritorum precaretur; ac ni flexisset animos, vèl Ægypti Præfecturam concedi sibi oraret*. Libentèr enim elegisset ex Patritiorum etiam Ordine deleri, contentus equestri Magistratu, dummodò, & vitæ suæ consulere, & in felicissima Orientis Urbe morari posset. At Dio Xiphilini turpiora etiam illum agitasse ait; *deliberavit interficere Senatores, incensaque Urbe navigare Alexandriam, etsi enim, inquit, amittemus Imperium, tamen nos alet in illa regione ars nostra, & sustinebit.* Ars videlicèt Choraulis, & Cytharedi. Hùc referri itàque debent Augusti cautelæ, quibus à potentiorum dominatu timens, Alexandrinam Præfecturam Equitibus reservavit, cùm si omnium cæterarum in Imperio ditiorem, ac feliciorem

rem

rem Urbem, ac Ægypti Provinciam Patritio Viro commisisset, timendum fuisset, ne Imperio periret *illustris*, ut eam Aristides vocat, ubi de Romæ laudibus differit, *& magna illa Alexandri in Ægypto Urbs Imperii ornamentum, velut Mulieris divitis monile, vel inavris*. Ex frequentiæ, & felicitatis capite igitur Alexandria cæteris in Imperio Urbibus, Roma excepta, præfulsit, post Alexandriam verò, Antiochia. Eo sensu intelligendus est Josephus de Bello lib. 3. cap. 1. ubi hanc Urbem laudat quòd *magnitudine simul, aliaque felicitate sinè dubio tertium inter omnes, quæ in Romano Orbe sunt, locum obtineret*. Princeps proindè, & prima Orientis Alexandria potiùs, quàm Antiochia, quamvis tales honorum titulos huic potiùs, quàm illi datos in Edicto Julii Cæsaris à Johanne Malela Antiocheno relato, sciamus, qui passìm, & apud subsecuta tempora obtinuere. At in hujusmodi titulis, frequentioribus Urbibus tribuendis, liberales, imò prodigos Veteres fuisse, ex Urbium earundem comparatione, facilè est dignoscere, quarè & cùm Urbs quædam cæteris præponitur, satìs sit intelligere absolutam, non verò comparatam ejusdem Urbis felicitatem. Ne-

gari tamen nequit ob frequentiam, & ob ea, quæ suprà numeravimus, Alexandriam cæteris præfulsisse, & post eam secundo loco Antiochiam. Cæterarum in Imperio Urbium ex his capitibus celebritatem, nec lubet, nec vacat hic exquirere; illud tantummodò adiiciendum est, quòd sicutì ex diversarum Provinciarum Urbibus invicem comparatis, ùna alteri præfulsit ob populi frequentiam, cæterisque, ità in eadem Provincia una vel plures ex eisdem capitibus præfulsere, cùm nihilòminus in forma juris Romani Provinciarum, una alteri minimè dominaretur, quod Aristides Romæ laudes prosecutus magnæ felicitati adscripsit. Urbes enim, quæ anteà de Primatu inter alias contendebant, & ob id incredibilibus ærumnis, seditionum, & bellorum causa consumebantur, Romanis parentes æquo jure, ad summam felicitatem, spectata præteritorum temporum miseria, assurrexere; *dùm jàm loco contentionis de Imperio, atque Principatu, propter quæ solebant priora bella geri, aliæ instar aquæ tacitè fluentis jucundissimè conquiescunt, aliæ verò nec si unquàm imperarunt sciunt, aut meminerunt.* Ità Aristides.

Ca-

Caput Secundum.

De Judaicæ Gentis ſtatu, & vicibus Apoſtolorum ævo.

I. ARgumentum Viris doctiſſimis ſæpiùs actum, rursùs agere haud intendo, nec vaſtam Judaicarum rerum ſylvam ingredi mens eſt; quandòquidem nec mearum virium, nec aſſumptæ Provinciæ neceſſarium eſt, tanta vel ingenti hiatu promittere, vel periculoſo conatu experiri. Ea inprimis memorata velim, quæ cum civili Romani Imperii forma, de qua ſuperiori capite, comparata, lucem non modicam, quæque aliundè ferè haberi nequit, afferre poſſe videntur ad origines Metropolitico-Eccleſiaſticas revelandas. Hæc autem ad duo capita redigi poſſunt, videlicèt ad Judæorum incolatum, quatenùs dignoſcatur, quibus, & quot in locis, quaque hominum frequentia, incolerent Judæi; & ad eorundem civilem politiam, quibus videlicèt in locis, & quouſquè ſuis Legibus uterentur, ſeù Gentium civitatis participes eſſent. Hæc autem licèt principaliter pro Apoſtolorum

temporibus examinanda sint, fieri nequit quìn ab altiori origine repetantur; nec enim postrema benè percipi possunt, si solitariè, & veluti à reliquo Corpore recisa considerationi, quamvìs seriæ, subiiciantur. Nonnulla itaque exquisita quòad fieri poterit brevitate explicabuntur ex intimis Judaicarum rerum adytis, quæ aliàs si omitterentur ideam eorum, quæ necessariò præmitti debent inutilem haberemus, nec rei, quam quærimus illustrandæ aptam. Ità singularia delibanda sunt de Regiminis Judaici natura, de Regum potestate, de Synedriorum jure, & de cæteris hujusmodi, quæ licèt doctissimis magnorum Virorum lucubrationibus illustrata, mihi tamen pro modulo consideranda sunt, salva pro more, quam me servaturum promisi, ergà quoscumque, quibus fortasse me adversari contigerit, reverentia.

II. Ut igitur à primo propositorum capite initium capiam, mirari subit incredibilem Judaicæ gentis frequentiam, quæ undiquè diffusa non modò Orientis celeberrimas Provincias, sed & nonnullas Evropæ Urbes impleverit, cujus quidèm testem habemus eorum temporum, quibus Christianum no-

nomen audiri cæpit, præclarum, Philonem videlicèt. Is in Libello contrà Flaccum conſcripto narrat ea, quæ in Judæos ſub Caji imperantis initiis, ipſo injurias promovente Præfecto, acciderunt. Recenſet autem permiſſam ab eodem Statuarum Cæſaris in Judæorum Proſeuchis dedicationem, quod eò periculoſiùs admiſſum dicit, quò cùm ille probè ſciret paſsim per Romanam ditionem habitare Judæos, eoſque Religionis ſuæ apprimè tenaces eſſe, ſciebat etiam fieri minimè poſſe quìn ægrè Gens illa ferret injuriam Numini illatam, undè tot in locis ſeditio timenda, ex qua non Judæis modò, ſed & Romanorum rebus periculum crearetur: *quò plus potuit, eò magis ſeditionem accendebat, & quantùm in ſe fuit Orbem replevit bellis civilibus.* Ait autem *non minus quàm decies centena millia* habitaſſe Alexandriam, totamque regionem, quanta patet à Catabathmo Libyæ, uſquè ad terminos Æthiopiæ, indè ait; nec enim obſcurum erat, *quòd fama occupatarum Proſeucharum apud Alexandriam exorta, ſpargenda eſſet per omnes Ægypti Præfecturas, indè propaganda ad Gentes orientales: paritèrque ab ora maritima, & Mareotide, quod eſt*

initium Libyæ, usquè in Occidentem, & nationes tractus illius. Judæos enim una regio non capit propter hominum multitudinem; quamobrèm plurimas, ac fortunatissimas Urbes in Europæ, Asiæque Provinciis, ac insulis incolunt. Hæc Philo expresſè de Ægyptum incolentibus Judæis, ex occasione autem de cæteris generalitèr, alibì degentibus. De iis autèm, Judæorumque per Orbem incolatu denuò agit in Legatione ad Cajum, occasione imminentis periculi ne Templum, Cæsaris Statua profanaretur. De Petronio enim fluctuante scribens, cogitasse eum ait, *quàm populosa esset hæc Natio, non ùt aliæ comprehensa unius regionis spatio, sed totum penè Orbem incolens. Diffusa enim per Continentis Provincias omnes, atque Insulas, adeò ut non multò pauciores sit Indigenis.* Agrippa autem Rex in epistola ad Cajum ea occasione data clariùs loca Judæis habitata recenset in hunc modum. *Pro sancta verò Civitate Patria mea hæc afferre liceat, eam esse Metropolim non unius regionis Judeæ, sed & multarum, propter Colonias indè olìm deductas, vel propiùs in finitimam Ægyptum, Phœnicem, Syriam tùm cæteram, tùm eam, quæ Cœle cognominatur, vel longiùs in Pamphyliam, Ciliciam cæte-*

cæteraſque Aſiæ partes, uſquè Bythiniam, & Ponti ſinus intimos. Pari modo in Europæ Theſſaliam, Bœotiam, Macedoniam, Ætoliam, Atticam, Argos, Corinthiumque, Peloponeſi, partes præcipuas. Nec tantùm Continentis Provinciæ plenæ ſunt Coloniis Judaicis, ſed & Inſularum celeberrimæ Eubœa, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Transeuphratenſibus; excepta enim parva parte Babylonis, & aliarum Præfecturarum, omnes Urbes, quæ bonum agrum habent, à Judæis incoluntur. At in Meſopotamia, Babilone, totaque regione ſuo tempore Parthorum dominationi ſubdita, Joſephus mirabilem Judæorum multitudinem habitaſſe ſcribit lib.11.cap.5. Etenim cùm Xerſes Darii filius Judæis poſt diuturnam captivitatem, libertatem, & Hieroſolymam, poſtliminio veluti, regrediendi poteſtatem conceſſiſſet, quamvis ea indulgentia uſi ſint plurimi, qui cum Eſdra reverti voluerunt, alii tamen, & quidem majori numero *avitas, provitaſque* ſedes, ut loquitur Philo laudatus, relinquere noluerunt; *quapropter*, inquit Joſephus *duæ tantùm tribus per Aſiam, & Europam ſub Romano degunt Imperio, decem autem tribus nunc quoquè ultrà Euphratem ſunt, infinita homi-*

num

num millia, quæ vix eſt numero comprehendere. Hæc tamen, ut quod eſt dicam, prò priori Apoſtolorum ævo ſunt moderanda ex his, quæ idem Antiquitatum Judaicarum Scriptor tradit Babylone, & in circumpoſita Parthorum regione accidiſſe Claudii Imperantis initio, lib. 18. cap. poſtremo; quandòquidem ex Anilæi facinoribus, & ex inſito Parthis, Græcis, Syriſque in Judæos odio factum eſt, ut Babylone *ſuprà quinquaginta Judæorum millia* occiſi ſint, *nec ullus evaſerit, niſi ſi quem amici, aut vicini ſervavit miſericordia*: qui autem evaſerunt, ſeceſſere Cteſiphontem. *Cæterùm*, ſubdit Joſephus, *Babyloniorum, ac Seleucenſium terror omnes ejus tractus Judæos pervagatùs eſt: quandò quidquid erat Syrorum in illis regionibus, cum Seleucenſibus conſpiravit in eorum perniciem. Quò factum eſt, ut plerique in Neerdam, & Niſibim ſe receperint.* Exciſæ itàque admodùm trans Euphratem Imperii Romani limen, res Judæorum, quæ eodem ſtatu perſeveraſſe cùm Joſephus hæc ſcriberet, facilè intelligitur, quod infrà ſuo loco meminiſſe operæ pretium erit.

III. Intrà Romanorum fines nullibì frequentiùs habitaſſe Judæos, quàm Alexandriæ, non

non modò allatus Philonis locus, sed & ejus rei testis Strabo lib. 17. aliique profanæ Historiæ Scriptores. Strabonis verba Josephus ipse Antiqu. lib. 14. cap. 12. transcripsit, ex quibus sufficiat in rem præsentem ea seligere, quæ ad Judæos Alexandriæ magno numero degentes pertinent. *Per Ægyptum*, inquit, *etiam Coloniæ sunt ejus Gentis, absquè eo quòd Alexandrinæ Urbis magna pars eis assignata est*. Philo autem in libello suprà laudato, ait Alexandriam in quinque regiones divisam denominatas à prioribus literis, quarum duæ Judaicæ dicebantur, quia in his plurimi Judæi habitabant, licèt & in aliis non pauci sparsìm domicilia haberent, quarè Incolarum Alexandrinorum dimidium ferè Judæorum erat. Post Alexandriam Antiochia fuit ubi frequentiores habitaverunt Judæi. Josephus de Bello lib. 7. cap. 21. in rem præsentem audiendus est; *Judæorum gens multùm quidèm totius Orbis Indigenis asseminata est; plurimùm autem Syris vicinitate permixta, præcipuè apùd Antiochiam versatur propter magnitudinem Civitatis. Maximè verò his liberam domicilii facultatem Reges, qui post Antiochum fuere, præbuerunt; nàmque Antiochus quidèm, qui Epipha-*

phanes dictus est, vastatis Hierosolymis, templum spoliavit; qui verò post eum regnum assecuti sunt, quidquid æneum in donariis fuit, hoc Judæis apùd Antiochiam degentibus reddidere in eorum Synagoga dedicatum, concesseruntque, ut pari cum Græcis jure civitatis uterentur. Allecti itaquè, & locorum vicinitate, & Antiochiæ frequentia, ac privilegiorum concessionibus, in eam Urbem plurimi concessere Judæi, paulatìm tamen & proùt temporum, & Syracidarum vices tulere; nec enim nisi plurimos post annos ab Antiochi Epiphanis morte Judæorum res in Syria eo loco fuere, ut ad Antiochenam civitatem admissi, ibidèm stabile, tutùmque domicilium obtinerent; quandòquidem antè expugnatam Hierosolymorum arcem per Simonem, qui ex Machabæorum Libris abstulit jugum gentium circà annum 142. antè Christi Servatoris Natale, Judæi Reges Syriæ, ut plurimùm, infestos habuere. Indè verò usquè ad Pompeji tempora viribus, ac opinione creverunt, & proindè, cùm nil sibi timerent à Regibus assiduis bellis attritis, mirùm quantùm circumquàque creverint, quaque frequentia Antiochiam habitaverint. Nec Romani obstitere, quò minùs

nùs liberè degerent, & multiplicarentur, imò privilegiis auctos multifariè adjuverunt, ac maximè ubi proprii Reges ſunt dati. Herodis tempore, quo loco Antiochiæ res Judæorum eſſent, ex his arguere licet, quæ Rex ille munificentiæ cauſa Antiochenis contulit. Etenìm plateam mediàm Urbem ſecantem porticibus ex utroque latere ornavit, & viam ſubdivalem lapide polito ſtravit, annuos etiam redditus attribuit, ùt ludi Olympii majori pompa fierent, undè perpetuus Agonotheta eſt declaratus ex Joſepho Antiqu. lib. 16. cap. 9. Conſequens autem fit, ut Antiocheni, qui ſe tantis beneficiis affectos patiebantur, pari grati animi virtute reſponderent, Judæorum Gentes demerentes, cujus Regem etiam noverant Auguſto præ omnibus, ſi Agrippam excipias, dilectum. Ex his facilè eſt conjicere quanta frequentia Antiochiæ Judæi eſſent Apoſtolorum tempore, ea videlicèt, quam, nec Hieroſolyma per Titum penè deleta, Antiochenorum odium potuit minuere, ut infrà rursùs ſuo loco indicabitur.

IV. Plures etiam Aſiæ Urbes, ſicùt & conterminas Evropæ Provincias, Achajam videlicèt, Macedoniam, Thraciamque, nec non

in

in ipſa Italia, præter Puteolos, Romam, Orbis totius caput, frequentes habitaſſe Judæos, conſtat non modò ex Joſepho, Philone, Gentiliumque Scriptoribus, ſed & ex ſacrorum Librorum lectione, Actiſque Apoſtolorum quammaximè. Epheſi in primis, quæ Aſiæ proconſularis erat celebris Urbs, & Conventus, ſedes Judæos fixiſſe, ibìque magno numero degiſſe ſuadetur. Etenìm primò conſentaneum rationi eſt, illùc maximè confluxiſſe, ubi Urbis ampliſſimæ decor, quæque Strabonis ætate Emporium erat, eorum, quæ ſunt intrà Taurum Montem, maximum, ut tradit lib. 14.; deindè ejus rei certa argumenta habemus ex ſacro Actuum Apoſtolorum Libro, Paulique prædicatione, qua de re ſuo loco agendum erit. Hìc illud diſſimulari non poteſt, Paulum per triennium Epheſi prædicaſſe, quod ipſe Epheſios allocutus, dixit Act. cap.20. ac maximas ærumnas toleraſſe, quæ illi *acciderunt ex inſidiis Judæorum*. Et de Judæis quidèm Epheſi commorantibus intelligenda eſſe ea, quæ 1. Cor. cap. ultimo idem Apoſtolus habet, nullus dubito; ait autem ſe Epheſi moram protracturum uſquè ad Pentecoſtem, quòd ibidèm ſibi

oſtium

ostium apertum esset *magnum*, *& adversarii multi*. At ex eo etiam conjicere licèt Judæorum multitudinem Ephesi morantem, quòd cùm in Scævæ filios, homo à dæmone pessimo obsessus, irruisset, ob id Act. 19. territi dicuntur Judæi, atquè Gentiles quam maximè, quarè cùm multi credentes venissent *confitentes*, & *annuntiantes actus suos*; *multi ex eis qui fuerant curiosa sectati contulerunt Libros*, *& combusserunt coràm omnibus*, *& computatis pretiis illorum*, *invenerunt pecuniam denariorum quingentorum millium*. Quamvìs enim fatear Libros combustos haud omnes à Judæis allatos, sed & à Gentilibus, manifestum tamen est Credentes Judæos indicari eo nomine, eos videlicèt, qui ex Circumcisione crediderant, quique curiosa ad demonum expulsionem, filiorum Scevæ, & Judæorum more sectati fuerant, qua de re Baronius ad annum 57. n. 1. Ex Librorum itàque ea occasione combustorum pretio satìs grandi, facilè argui potest, quàm multi Judæorum Ephesi tunc morarentur, ex quibus plurimi in Christum crediderant.

V. Quod reliqvum ad explicandam Judaicæ gentis per Orbem diffusionem, & ejusdem

certis

certis in Imperii Romani Urbibus frequentiorem incolatum, ſuperfluum videri poteſt, & nimis longè petitum. Sufficiat itàque ex uſquè modò diſcuſſis agnoſcere Aſiam omnem, Evropæ Provincias ab Illyrico, Macedonia, Thraciaque ad Orientem vergentes, Africæ verò finitimam Cyrenem, innumerabiles Judæorum myriades habuiſſe; cæteras Occidentis regiones vel nullos, vel raros aluiſſe ſi Romam, Puteoloſque excipias. Et Puteolis quidèm ob id degiſſe eorum nonnullos crediderim, quòd illùc Alexandrinarum navium appulſus ſæpiùs fieret, Frumenti in Italiam, & vectigalium Cæſareorum Romam advehendorum cauſa, quarè Alexandrinæ Synagogæ appendix veluti, & Colonia, Puteolana. Romæ verò Judæos minimè parvam Urbis partem trans Tyberim tenuiſſe Philo tradit, quorum multitudinem conjicere eſt ex Tacito Annal. lib.2. ubi ſcribit, Tyberio jubente Junio Silano, & Norbano Flacco Coſs., quatuor millia Judæorum libertini generis in inſulam Sardiniam amandatos ſub ſpecie coërcendorum latrociniorum, re ipſa tamen, ut ob aeris gravitatem interirent. Hæc autem ob Sejani ſycophantias

acci-

accidisse, quo proindè perempto Judæi Romam rediisse, ex Philone elicitur, laudato de Legatione ad Cajum Libello. Indè tamen fieri potuit, ut Sardinia etiam Judæos imposterùm haberet incolas, diùque aleret. At pro eo, quod spectat ad Judæos Romæ degentes omittendum non est, post Herodis magni mortem, quinquaginta Judæorum Legatis Romam missis, adjunxisse se *ex Judæis Urbis Romæ plusquàm octies mille*, ex Josepho lib. 17. cap. 12. Alibì in Occidente Judæos habitasse ex Veterum lectione elici vix potest. Sunt qui credant Paulum ob id in Hispanias proficisci cogitasse, quòd ibì Judæi degerent, qua de re Cornelius à Lapide in Epist. ad Rom. cap. 24. Sed & Chrysostomus in Matth. hom. 76. eum in Hispanias profectum ait *illic Judæos quoquè invisurus*. Hæc mirum in modum confirmarentur si fides adhiberi posset Græcorum Menologio, & Metaphrasti Serm. de Apostolis, ac à Surio allatis ad diem 29. Junii, aliisque hujusmodi. Porrò Judæorum nonnullos in Hispaniis degisse primis Ecclesiæ Christianæ temporibus, conjecturæ loco esse posset, quòd sciamus quarto ineunte seculo ingentem illorum multitudinem ad Christum

converſam in Minoricenſi Inſula ex literis de ea re ſcriptis à Severo ejuſdem Inſulæ Epiſcopo, legendis apud Baronium ad annum. 418. nec enim fieri poteſt, quin à multo tempore ibidèm, & in finitimis Continentis regionibus habitaverint, qui plures numero quandònam illùc appulerint & Severo ſcribente ignorabatur. At poſt Hieroſolymorum vaſtitatem Judæos & in Occidentem frequentes veniſſe ex Rutilii Itinerario patet, cujus ſunt illa:

Atque utinàm nunquàm Judæa ſubacta
fuiſſet
Pompeji bellis, Imperioque Titi.
Latiùs exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos Natio victa premit.

Verùm ſunt Viri ſanè eruditi, qui ſentiunt, his Chriſtianos Judæorum nomine peti; qua de re illi. Veruntamèn dubitari nequit poſt διασπορὰν ultimam & per Occidentem Judæos habitaſſe, qui quarto ſeculo degebant certò in Italiæ Præfectura, in Apulia, & Calabria, in Gallia Belgica, & Agrippinæ, proùt ex variis Imperatorum ejus ævi Edictis in Codice Theodoſiano collectis adnotavit Jacobus Gothofredus in Paratit. Tit. 8. lib. 16. Minutius in Dialogo Octa-
vii

vii nomine inſcripto rerum Judaicarum Scriptores laudat ſuo tempore recentiores Flavium Joſephum, & Antonium Julianum. Nicolaus Antonius Eruditiſs. Auctor Bibliothecæ veteris Hiſpanæ, quam ſummo rei literariæ bono, poſt ejuſdem obitum, ſuis ſumptibus edendam curavit Optimus, ac Doctiſſimus quondàm Cardinalis de Aguirre, ex conjectura credit Julianum à Minucio memoratum eundem eſſe cum ejuſdem nominis Rhetore Hiſpano, de quo Agellius Noct. Attic. lib. 1. cap. 4. Poterit quis fortaſſis ex conjectura ſimilitèr eundem Religione Judæum credere, cùm à Minucio, Flavio Joſepho, Judæo certè, licèt Civitate Romana donato, adjungatur. Ut quid enim poſtrema Judæorum fata Hadriano imperante, ut conjicit Nicolaus, internecione deletorum, ſicutì Flavius priora ſub Tito, homo Hiſpanus ſibi narranda, ſcriptoque Poſteris commendanda aſſumpſiſſet, niſi aliquo modo ejus Gentis excidium ad ſe ſpectaſſet? Hæc tamen ſi quis emunctioris naris reſpuat, non ægrè feram.

VI. Modò cùm ad Civile Judæorum Regimen ſit tranſeundum, illud omnium primò obſervandum eſt, meritò reprobandum,

 quòd

quòd nonnulli rerum politicarum Scriptores agunt, qui de Hebræorum Republica tractant ità, ut minimè videantur illam à Gentilium Rebuſpublicis ſecernere, cùm reverà altiori regimine ſteterit, quàm cæteræ, quippè quæ uſquè ad novæ Chriſtianæ Legis exortum, Deum ipſum Auctorem, & ſuæ politiæ Nomothetem agnoverit, quamvìs diverſis rerum, & temporum vicibus acta. Quod ab initio Deus ipſe promiſerat, qui ex univerſo Orbe Populum ſibi ſelegerat, qui ſibi eſſet *in Regnum Sacerdotale* Exod. cap. 19. id ſemper perſeveraſſe dubitari nequit, uſquè dùm Judæorum Gens ideò deſeri meruit, quòd Deum ipſa impiè abjeciſſet. Verùm æquè certum eſt plura etiam procedente tempore, formæ à Numine inſtitutæ *Regali* videlicèt *Sacerdotio* acceſſiſſe, quæ non Divinam, ſed humanam præſetulere Majeſtatem; alia quidem ex ipſius Dei indulto; alia verò, vel ex Gentis illius ad Ethnicorum politiam propenſione, vel ex inducta poſtremis temporibus ſuperſtitione, ob quam Synagoga in varias Sectas diviſa, multa ſibi in Lege videre ſomniavit prorsùs vel falſa, vel incerta. Eorum, quæ ex Dei indulto à Gentium moribus

ribus

ribus in Synagogæ regimen inducta fuere, principem locum habet Regum institutio, quorum primus Saul extitit. Præviderat enim Sapientissimum, & Clementissimum Numen, futurum, ut Populus ille idem, quem immediatè tot beneficiis auxerat, Gentium fastu olìm caperetur, quà Reges humana majestate præditos habent; ac proindè, ut in aliis, ejusdem infirmitati morem gerens, certis legibus, quibus Divinæ Majestatis Jus salvum foret, circumscriptam, Regis Gentium more adsiscendi, facultatem concessit Deut. 17. *Cùm ingressus fueris terram, &c., & dixeris constituam super me Regem sicut habent omnes per circuitum nationes, &c.* Quod itàque rerum politicarum celeberrimis licèt aliàs Scriptoribus fidentiùs asseritur, verum non est; antè Saulis videlicèt unctionem regale regimen proprium, verumque Hebræos tantùm habuisse, quatenùs Deus ipse Rex Populi erat, vel, quæ aliorum sententia est, non Monarchica, sed Aristocratica, seù Democratica, vel ex utraque mixta forma viguisse; quandòquidem ex Deo ipso agnoscimus *Regale* excellentissimo modo *Sacerdotium* institutum, quod semper duraret, & verè regiam

poteſtatem, ſacram tamen, & à Sacerdotio fluentem, cum jure Majeſtatis divinæ conjunctam, nulli alteri Populo communem, conſecratam. Ob eam Moyſes Rex fuit, qualis Deut. cap. 33. laudatur; *legem præcepit nobis Moyſes hæreditatem Synagogæ Jacob.* ויהי בישורון מלך, *& fuit in Jeſurun Rex.* Item Rex verè dicitur non modò apud Judæorum Magiſtros Maimonidem, Abenezram, ac in Scemoth Rabba, Peſcktha Zatertha, & alibi, ſed & à Philône de Vita Moyſis lib.2. & 3. qui eundem & Regem, & Sacerdotem, & Prophetam, & Legiſlatorem laudat; ab Auctore etiam Conſtitutionum Apoſtolicarum lib.2. cap. 29. plurimiſque Patribus, interquos Gregorius Nazianzenus audiendus eſt, à quo Moyſes dicitur ἄρχων ἀρχόντων. Sed & eundem ritè vocat *Sacerdotum Sacerdotem*, ipſe Gregorius; Rex enim, ac ſimul Sacerdos idem Moyſes, ex quo per ſolennem ordinationem Aaronicum Sacerdotium Deo jubente, ſicut, & Synedrii jus omne profluxit, ità ut in uno Moyſe totius Hebræorum politiæ imago expreſſerit Deus, quam facilè agnoſcere poſſent Poſteri, quamvìs prò temporum, & rerum vicibus, variis regiminis formis Gen-

tibus

tibus communibus, futurum esset ut videretur induta. Etenim quòd sub XIII. prioribus Pontificibus ex Aaronis stirpe, ut narrat Josephus Antiqu. lib. 20. cap. 8., *primò penès Optimates administratio fuit Reipublicæ, post ad Monarchas, postremò ad Reges transiit*; quòd à Josedeci Filio summum Sacerdotium gerente, ad Antiochi Eupatoris tempora, Pontifices statum Reipublicæ popularem rexerint: quòd sub Assamonæorum Familia iidem diutiùs, & Pontifices, & Reges fuerint; quòd tandem Regibus denuò à Romanis datis, & Romanis ipsis paruerint, sicut & anteà Deo puniente rebellem sibi Populum, Alienigenis servierant; id omne corticem potiùs extimam expressit, quàm ipsam Judaici regiminis substantiam, qua in tanta rerum varietate substitit semper *Regale illud Sacerdotium*, ob quod Hebræorum Respublica à cæteris omnibus secernebatur, jusque suum *Regale-Sacrum* semper quò ad rei substantiam habuit, quamvìs quò ad exterius ejusdem exercitium, variè se gesserit, ac quandòque ab ejus opere abstinere magna ex parte debuerit. Nec Josephus ipse dissentit, qui lib. 2. contrà Apionem instituta compara-

tione inter Hebræorum Rempublicam, & Reſpublicas Gentium, concludit; *igitur infinitæ quidem particulatìm gentium, atquè legum apud cunctos homines differentiæ ſunt. Aliæ ſiquidem Monarchis, alii verò poteſtatem popularem Reipublicæ commiſere; noſter verò Legislator nihil horum intendens, veluti ſi quis hoc dicendo menſuram tranſcendat verbi, Divinam Rempublicam declaravit.* Quod proindè in humanis, ſeù Gentilium Rebuſpublicis formæ loco extitiſſet, accidens fuit merum in Hebræorum Divina Republica; nec eo mutato, mutationem paſſa eſt, cùm forma ejus propria in *Regali Sacerdotio* conſiſtens eadem ſemper fuerit, undè ſi, re benè perpenſa, ſano modo intelligatur, & de Hebraici Populi Civitate verificatur Ariſtotelis effatum lib. 3. Politic. cap. 2. *Civitas dicitur eadem ſpecie donèc remanet eadem forma Reipublicæ*; ſubſtantia videlicèt, & regiminis veluti nucleus, licèt folia, cortex, ſive accidentia mutentur.

VII. Quæ quidem ut dilucidiùs explicentur redeundum eſt diſputatione ad Regum ex Gentium moribus, regiminis Hebraici formæ acceſſionem. Quòd enim per Regis, qualem Gentes habebant, inſtitutionem

nem, inducendum, petiere Populi Seniores, id fuit, quod Deus ipse, ut à petitis absterrerentur, exponendum petentibus, injunxit, & *Juris regii nomine* vocavit. *Nunc ergò vocem eorum audi. Veruntamèn contestare eos, & prædic eis Jus Regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itàque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem, & ait; Hoc erit Jus Regis, qui imperaturus est vobis: facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, &c.* Difficillimus explicatu visus est hic locus Doctissimis Viris, qui propterea in diversa abiere. *Jus Regis* dictum nonnulli contendunt, quatenùs quæ laudato loco narrantur, quandòque Regi liceat exequi, ob publicum bonum, sic Nicolaus de Lyra. At id reprobatur ab aliis, ex eo, quòd plura ex ibidèm recensitis publici boni pretextu salvari nequeunt, utì auferre à legitimis Dominis agros, vineas, oliveta, & servis dare, subditos liberos in servitutem redigere, & cætera hujusmodì. Alii Juris vocabulum impropriè usurpatum, & eo nomine potiùs explicatum, quod Reges Gentium in Subditos contrà fas, jusque admittere solebant, ut populus à petendo Rege hujusmodi absterre-

retur,

retur, & in hac sententia est Abulensis ad hunc locum, & videtur fuisse Joh. Gerson Tract. ne Principes, &c. Consider. 8., nec non D. Thomas 1. 2. quæst. 115. art. 1. ad 5. Sed reponunt qui aliàs sentiunt, id non magis in Gentium Regibus, quàm in quolibet etiam de Populo verificari potuisse, qui factiosus, & potens fuisset, nec quid singulare Regum proprium denotasset. Sunt proindè, qui existimant ibi non de nuda, ea, quæ ibi narrantur efficiendi facultate, seù potestate facti, quam quilibet Potens habet, sed de potestate injusta ex legis permissione subsistente, juris nomine, agi, qua non excluderetur quidem peccatum, sed ea utens eximeretur à pœna legali; quarè contendunt de hujusmodi jure Regum proprio conscriptam tunc nutu Dei Hebræis Regem petentibus, Legem, ac de ea loqui Regum Historiam lib. p. cap. 10. *locutus est autem Samuel ad Populum Legem Regni, & scripsit in Libro, & reposuit coràm Domino.* Hæc latè defendit doctus Scriptor contrà Monarchomacos lib 2. Ut in hac sententiarum varietate dicam quod sentio, primæ acquiescere nequeo; boni enim publici prætextus nimis amplificatur, & boni etiam

publi-

publici ratio destruitur, cùm singulorum periculum in his, quæ naturæ, & Gentium jure nostra sunt, in omnium periculum, & Civitatis eversionem redundet. Secundæ etiam, quæ objiciuntur validum admodùm momentum habent, & eam minimè, laudatus Scriptor, D. Thomæ sententiam esse, satìs ostendit. Tertia quamvìs aliquo modo admitti possit, in pluribus tamen deficit. Illud enim certùm est ex obvia sacri Textus lectione Jus Regis, de quo Deus monitum Populum voluit, vim suam non accepisse ex Lege illa, quam Samuel scripsit in Libro, & reposuit coràm Domino, sed aliundè, cùm non Jus novum illud esset, quod per eam legem inciperet, sed vetus, quippe quod obtinuerat apud Gentes, ex quorum moribus, tanquàm extraneum, & jàm subsistens adsciscebatur. Recolendum hìc est, quod verissimè ex Aristotelis Polit. Libris docemur, differre admodùm inter se spectato fine Regem, Dominum, Tyrannum; Rex enim primariò Reipublicæ commodum intendit; Dominus primariò proprium, deindè Populi; Tyrannus proprium tantùm, non Populi; quarè δεσποτεία ex parte Tyrannidi, & ex parte Regno accedit,

cedit, ac media inter optimum, & pessimum regiminis genus sistit. Ubi tamen ex populorum voluntaria subjectione obtinuerat, ut Reges in Subditos tanquàm in Servos dominarentur, Regium dominium despoticum etiam jurè fuit, cùm Gentes illæ à natura viderentur comparatæ ad servitutem, quo sensu Aristoteli 3. Politic. 10. *Barbaros magis, quàm Græcos, & Asiaticos, quàm Europæos* secundùm naturam, Regibus despoticis obedisse, innuitur. Ex his probè, ut quidem reor, intelligitur de quo jure locutus sit Deus, & Deo jubente, Samuel; de eo scilicèt, quo circumpositis Gentibus dominabantur Reges non regale tantùm, sed regale-despoticum, liberis hominibus, & regio officio incompetens, quodque sicùbi legitimè obtinebat, non ex Divina Lege, sed ex Subditorum voluntate fluebat. Mirùm itàque quantùm à vera Regni Idea ipsis Gentilibus Philosophis perspecta, aberrent Doctissimi Christianæ professionis Scriptores, qui ex eo loco Jus illud comminiscuntur ex divino fluens, licèt peccati non exclusivum, à pœna tamen legali Regem eximens à solo Deo puniendum. Ut paucis autem sensum allati textus exponam, ajo,

ajo, non novum jus iis, qui inter Hebræos regnaturi erant à Deo constitutum, sed nec in Rempublicam Hebræorum Deo ratum habente translatum Jus despoticum in Subditos, quo ex Populi consensu utebantur circumpositi Gentium Reges, verùm tantùm enarrata incommoda ex jure illo fluxisse, quod captus externo fastus splendore, petebat Populus.

VIII. Oseæ Prophetæ itàque quod dicitur; *projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum, ipsi regnaverunt, sed non ex me*, referendum est ad Reges illos, qui cum despotico arbitrio dominati sunt Judæis, jugum, quod petierant serviliter ferentibus, quò violatum est jus Majestatis Divinæ, in quo forma Judaicæ Reipublicæ sistebat; quarè hùc referenda sunt, quæ Deus Samueli post Populi petitionem, quid facto opus erat exquirenti, respondit; *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos;* idest Jus illud speciale, quo utor in eos, violaverunt. Nullo autem modo ex Dei voluntate fluxisse, quod ex Gentium jure, Despotarum more quandòque Hebræorum Reges fecere, ostendit Oseas, quarè sapienter in eum locum Hieronymus; *ergò Saul non ex voluntate Dei*, qui

qui Regibus adſcitis in aras, & focos jus deſpoticum dederit, *ſed ex populi errore, Rex factus eſt*. Videtur autem Prophetæ ſenſus is eſſe, ut indicet Regum malorum deſpoticum regimen in pœnam *projecti boni* Iſraeli præſtitutum à Numine; quo ſenſu Magnus Gregorius in primum Regum expoſ. lib. 4. cap. ultim. ſcripſit, intelligi poſſe jus illud Regni, quod Samuel ſcripſit in Libro, & repoſuit coràm Domino; *Dùm ergò Regni lex ſcribitur perpetuæ memoriæ pœna traditur, qua audaces puniantur: quæ quia per Dei juſtitiam lata fuerat coràm Domino reponi perhibetur*. In hac tamen explicatione Sanctus Doctor ſe non acquieſcere oſtendit, & proindè adiicit; *ſed fortaſſe jus illud aliud fuit, quam lex iſta, quæ ſcribitur; quod ſi verum eſt hanc Samuel coràm Rege ad populum loquitur, ut Rex ſciat à Populo quid exquirat; ſciat Populus quid exhibere ſuis Regibus debeat*. Joſephus Antiqu. lib. 6. cap. 5. in Libro repoſito, ſcripta fuiſſe ait mala illa, quæ ex Regibus hujuſmodi adſcitis, Samuel Dei Oraculo edoctus, futura prædixerat. Hæc verò loca dùm Scriptor doctiſſimus urget, ut probet jus Regis conſcriptum, quo Regibus poteſtas ſit tributa impunè Subditos

tam-

tamquàm ſervos opprimendi, quid aliud agit, quàm Reges iræ Dei Miniſtros, Lictores, Carnificeſque conſtituere? Porrò ex allatis vel nil ad ejus mentem conficitur, cùm Gregorius ideò tantùm dubitando aſſerat Legem Dei potuiſſe dici id, quod in pœnam delicti admiſſi imponebatur, quia à Deo juſtè puniente ex tunc irrogabatur quidquid adverſi ex Regum dominatu eventurum erat; quo ſenſu jus Regni, jus Dei potiùs, quàm Regis, qui merus divinæ vindictæ executor futurus erat; vel eodem regio jure uſa fuiſſe dicenda ſunt muſcarum, & ranarum agmina, quæ Deo imperante in Ægyptios immiſſa pœnæ cauſa ſacræ literæ narrant, ſeù, ne ab Iſraelitarum populo divertamus, Serpentes in populi necem in deſerto immiſſi, locuſtæque, bruci, rubigo, cæteraque hujuſmodi Populo Majeſtatis Divinæ reo puniendo, & corrigendo excitata. Eodem jure (ſiquidem jus dici meretur) Aſſirii, Medi, Perſæque uſi ſunt, cùm Populum, Regeſque rebelles Deo puniente in captivitatem abductos ſervire coëgerunt, quoque poſtmodum ſub Græcorum, & Romanorum jugo fatiſcentes Judæi, precariò vivere, ſuoque jure uti

vix

vix potuere, quod tamen quo ad formæ substantiam immutabile perstitit, donèc Sacerdotale Regnum, Messiæ opera, ad nobiliorem Dei cultum, & non modò Judæorum, sed & Gentilium felicitati procurandæ ordinatum, juxtà Prophetarum oracula, evectum est.

IX. Sacerdotalis autem Regni Hebræorum proprii forma, & ratio in eo stetit, quòd omnia tamquàm ad finem referrentur ad Dei cultum, quatenùs ipsa Populi temporalis felicitas ob id intenderetur, ut per eam Populus ad futuram per Messiam comparandam, ex sui natura instituеretur. Itàque quidquid in Lege Moysis præscriptum, licèt plura terrenis potiùs, quam divinis procurandis statuta primo intuitu videantur; ad Dei nihilominus immediatum cultum, & futurorum repromissionem obtinendam ordinatum est. Jus Majestatis Divinæ totum in Lege resedit, quarè, qui ejusdem executionem ex officio procurabant, non lege soluti, ut cæterarum Nationum Principes, sed ejusdem famuli erant, ex eo ipso quòd Legis ipsius, ac Majestatis Divinæ vindices agebant. Hi licèt diverso modo, *super Moysis* (qui Dei proindè famulus

mulus dicitur Epist. ad Hebr. 3.) *Cathedram*, cujus nomine Legem intelligi sentit Hieronymus in cap. Matth. 23. *sedentes*, ex Lege judicia agebant, Legi parentes. Verùm ex Legis ejusdem præscripto super hujusmodi Cathedram sederunt, Pontifex Maximus, Synedrium majus, Judices in Populo; Reges autem ex Dei concessione, quatenùs non despotici, sed Legem ipsam servantes, quam ideò apud se descriptam habere tenebantur ex Deuter. præcepto cap. 17. Cùm verò potestas illa Magistratuum eorum, Legis præscripto alligata esset, Prophetarum munus, sivè oraculá vel viva voce tradita, vel sacris literis consignata nunquàm non fuere in Hebræorum Republica, quatenùs ex eorum responsis Numinis voluntas in dubiis intelligeretur, præmia, ac pœnæ rebellibus etiam in prædictis muneribus constitutis, & super Moysis Cathedram sedentibus infligendæ prædicerentur, ac demùm, quod præcipuè à Numine intendebatur, explicaretur quomodò ea omnia, quæ contingebant ad futurorum repromissionem ordinarentur. Ex hocce Hebraicæ politiæ Systemate apparere puto, primo de ejusdem forma fuisse cultum Dei ad futurum Mes-

ſiam ordinatum Pontificis, Synedrii,& Prophetarum officio procuratum, cætera horum conſilio relicta, ex Legis tamen præſcripto diſponenda. 2. Reges quà tales conceſſos, non imperatos, quà verò Deſpotæ, pœnæ loco admiſſos, qui tamen, cùm contrà Legis præſcriptum agerent,& ipſi puniendi erant. 3. Eodem loco fuiſſe Medos, Perſas, Græcos, Romanos, quos pœnæ rebelli populo infligendæ cauſa, Deus ipſe iratus vindictæ Miniſtros excitavit. 4. Hebraicam Rempublicam ſuppliciis hujuſmodi licèt attritam, duraſſe tamen quoad ſui formam in Divinæ Majeſtatis Jure fundatam, quamvìs in ejuſdem formæ exercitio impediretur. Poſtremum hoc conſequens firmatur ex eo, quod *Sceptrum* illud, & *Dux* ille, de quibus in celeberrima Jacobi filios benedicentis prophetia, nequeunt intelligi duraſſe ſemper uſquè ad Meſſiæ adventum, niſi Sceptri nomine veniant Lex ſeù Cathedra Moyſis ſuperiori modo explicata, ſummumque illud Majeſtatis Divinæ jus, non Regibus, qui nec ſemper, nec ex Legis preſcripto fuere, ſed Pontificibus, Synedrioque commiſſum, & *Ducis* vocabulo Prophetæ, qui Videntes dicebantur, quòd Dei voluntatem

tatem explicarent, viamque intèr figurarum tenebras indicarent. Ea explicato modo intelligi debere docemur ipso Redemptore nostro Christo Domino Jacobi vaticinium impletum ostendente Johannis Baptistæ tempore, dicenteque; *Legem, & Prophetas usquè ad Johannem* prædictum perdurasse. At Judæis ipsis eo sensu intellecta facilè agnosci potest ex Justini contrà Tryphonem Dialogo; ibi enim cùm S. Martyr Jacobi laudatum vaticinium retulisset, se quidem ait scire, Judæos adeò minimè impudentes esse, ut negent Reges inter Hebræos desiisse ubi ad Ascalonitæ stirpem, ad Alienigenam videlicèt, ac Semiudæum Regnum, non Dei immediato nutu, sed Romanorum, venit; *nihilòminus tamen*, inquit, *dicitis in genere vestro fuisse sacrorum Antistitem, adeò ut etiam tùm vobis licuerit juxtà Legem Moysis offerre oblationes, καὶ τὰ ἄλλα νόμιμα, & alia legalia custodire; tùm autem Prophetas successione sua usquè ad Johannem extitisse: quemadmodùm tùm quoque, cùm Babylonem adductus est populus vester, Terra vastata, & sacris vasis sublatis, non desiit esse ex vobis Propheta, qui Dominus, & Dux, & Princeps Populi vestri fuerit.* Horum autem

tem rationem adiiciebant, quòd non Rex, ſed Propheta Dux populi fuiſſet; quia Reges à Prophetis ungerentur, ac ex Dei electione conſtituerentur, ità enim intelliguntur ſequentia; *Spiritus enim, qui in Prophetis vigebat Reges vobis unxit, & conſtituit.* Hinc facilè intelligere eſt, cur Joſeph. Antiqu. lib. 4. cap. ult. in cauſis appellationum ad Synedrium magnum de Tribunalibus minorum Urbium locutus, ibi univerit Pontificem Prophetam, & Synedrium hæc ſcribens; συνελθόντες ὅ τε ἀρχιερεὺς, καὶ ὁ προφήτης, καὶ ἡ γερουσία, καὶ τὸ δοκοῦν ἀποφαινέσθωσαν *convenientes Pontifex, & Propheta, & Senatus, id quod ſibi viſum fuerit decernant*, quamvis Seldenus de Synedr. lib. 2. cap. 16. Talmudicorum fidei plus tribuens, quàm Joſepho, cui allegata reſpondent, ſe non intelligere dicat, cur Pontifici, Synedrioque, Prophetam adjunxerit.

X. Hùc faciunt ea, quæ Doctiſſimis Viris probantur, adſtruentia, Reges apud Judæos non modò de civilibus, ſed, & de crimine causam apud Synedrium dixiſſe. Joſephi celebre illud eſt, quod Antiqu. lib. 4. cap. 8. Regis Legem Deut. cap. 17. latam exponens, ait à Moſe Populo dictum de Rege;

Is

Is quiſque fuerit plus Legibus, & Deo, quàm ſuæ ſapientiæ tribuat, πραττέτω δὲ μηδὲν δίχα τοῦ Ἀρχιερέως, καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης; *nihilque præter Pontificis, ac Senatus ſententiam, faciat.* Quod quidem ad illud refertur, quod laudato Deuteronomii loco Deo auctore dicitur; *poſtquàm autem ſederit in ſolio Regni ſui deſcribet ſibi Deuteronomium Legis hujus in volumine accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in Lege præcepta ſunt.* Quæ qui explanata videre cupit, habet Philonis lib. de Rege. Mira prorsùs, quæ exquiſito labore congerunt doctiſſimi Viri oppoſitum ſentientes, ut allatum Joſephi locum infirment! Eſt inter hoſce, qui Diatrib. de Jure Princip. Edictis Eccl. quæſ. cap. 2. ex Herodis Hiſtoria, quem Hircanus Synedrio urgente ad cauſam dicendam vocaverat, & cùm timeret ne damnaretur, à periculo liberavit, obtenta ſententiæ in craſtinum dilatione, primùm quidèm colligit, quòd *Rex jus dicebat in iis, quæ ſuæ erant cognitionis, non ſolus, ſed unà cum Senatoribus*; indè verò ſententia mutata & ejuſdem Hi-

ſtoriæ oblitus, quærit ut afferantur exempla Regis ex arbitrio Synedrii pendentis vel ex Bibliis, vel ex Joſepho. *Judæi*, inquit, *iſtam πολιτείαν animo tantùm conceperant, nulli Principes eo jure regnarunt. Vide quæ in Sacris Bibliis habentur, quæ apud Joſephum vernaculum rerum Judaicarum Scriptorem leguntur, dabo pignus in omnes fortunas meas, ſi vèl verbo jus iſtud aſſeratur.* At non ne à Joſephi Hiſtoria ſumptum, quod de Hircano doctiſſimus ipſe Scriptor narraverat? Non ne ex eodem tranſcripta, laudata verba de Rege Pontifici, Synedrioque ſubjecto? Exempla ex Bibliis nanciſci poterat Vir doctiſſimus, rara quidem cùm Regum plerique *de facto*, ut loqui amamus, non *de jure*, ſeù de jure Deſpotarum, jure divino in Judæorum Republica illicito, agerent, ſed quæ tamen haberi poſſunt, ſi animo à partium ſtudiis libero riquirantur. Unum quod pro multis ſufficiat, ſuggerit Hugo Grotius magni nominis Scriptor de Jur. Bell. ac Pac. cap. 3. §. 20. de Hieremia Propheta, *quem, cùm Proceres ad mortem depoſcerent, reſpondit Rex*, Sedechias videlicèt, *eccè in poteſtate veſtra eſt, nàm contrà vos Rex nihil poteſt, in hoc negotiorum genere ſilicèt.* Quarè ejuſ-

ejuſdem Grotii ſententia; *qui alia quavis de cauſa apud Synedrium reus factus erat, eum Rex judicio eximere non poterat, ideò Hircanus judicium de Herode, cùm impedire non poſſet, arte eluſit.* Auctoritatem itàque Regis dependentem non modò ex Judæorum animo, ſed & exemplis à Bibliis, & à Joſephi Hiſtoria petitis, firmatur, quod Vir laudatus petierat.

XI. Verùm Hieremiæ allatum exemplum ex ejuſdem Prophetia cap. 38. Syſtema etiam alterius docti Scriptoris evertit, quo in Defenſione Regia contendit, Joſephi de Lege Regia aſſertum obtinuiſſe tantùm eorum Regum temporibus, qui ab Ariſtobulo Jonathæ filio, uſque ad Herodem Magnum regnavere, at ſecùs ab initio fuiſſe; *& de his*, ait, *planè Regibus verum eſt quod dixit Joſephus lib.4. Antiquitatum... quod de Regibus qui paulò antè Joſephi tempora imperarunt fortaſſe dici debet, ab Ariſtobuli regno, non de primis illis, qui antè Captivitatem fuere.* Quod autem dubitandi particula effert, abſolutè aſſerverat in præcedentibus; *ſub illo*, Ariſtobulo ſilicèt, *& ſequentibus Regibus uſquè ad Herodem Magnum, quo regnante natus eſt Chriſtus, plurimùm potuit Synedrium; nec*

ſinè ejus conſenſu, & conſilio quidquam Regi majoris, quod eſſet momenti, agere licuit. Quì autem fieri potuit, ut, quod Is, aliique paſſim obtrudere intendunt, contrà veterem morem Rex πρασσέτω δὲ μηδὲν δίχα τοῦ Ἀρχιερέως, καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης tùm, cùm idem & Pontifex, & Rex fuit, & collato uni utroque ſummo jure, hic nihilominus, minori auctoritate polleret, quàm veteres illi antè captivitatem Reges quidèm, ſed non Pontifices? Quomodò intelligetur quòd idem & Rex, & Pontifex *nil agat præter Pontificis ſententiam*? Novi equidèm non modò ejus Viri, ſed plurium doctiſſimorum Scriptorum idem aſſertum eſſe; at oppoſitum veritati niti mihi videtur, idque aſſerendi mihi neceſſitas incumbit, niſi non quà eundum, ſe quà itur, ire pergam. Libro p. Machabæorum cap. 14. Simoni Pontifici Maximo, & Ethnarchæ conſtituto narratur ea poteſtas, ſummumque Imperium collatum, quo majus, ſalva Reipublicæ forma, conferri nequibat, quodque nec veteribus antè captivitatem Regibus collatum novimus, nec poſtmodùm augeri potuit in Ariſtobulo, qui juri Simoni tradito, nil adjecit, præter Regis nomen, ac diadema. Verba

ſacri

ſacri Libri adjicienda, ut de ejus rei veritate diudicent æqui Lectores, agnoſcantque nunquàm Reges, qui Captivitatem præceſſere pari auctoritate donatos; *& complacuit omni populo ſtatuere Simonem, & facere ſecundùm verba iſta; & ſuſcepit Simeon, & placuit ei, ut ſummo Sacerdotio fungeretur, & eſſet Dux, & Princeps gentis Judæorum, & Sacerdotum, & præeſſet omnibus.* Qua autem poteſtate omnibus præeſſet explicant præcedentia, *ut*, ſcilicèt, *ſit ſuper eos Dux, & ut cura eſſet illi pro Sanctis, & ut conſtitueret Præpoſitos ſuper opera eorum, & ſuper regionem, & ſuper arma, & ſuper præſidia; & cura ſit illi de ſanctis, & ut audiatur ab omnibus, & ſcribantur in Nomine ejus omnes conſcriptiones in regionem, & ut operiatur purpura, & auro, & ne liceat ulli ex populo & ex Sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere his, quæ ab eo dicuntur, aut convocare Conventum in regione, ſine ipſo, & veſtiri purpura, & uti fibula aurea. Qui autem fecerit extrà hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.* Verùm poteſtatis hujuſmodì vis ea fuit, quæ Simonem, ſubſecutoſque Reges in pleriſque à Synedrii, in omnibus à Pontificum poteſtate ſubducebat; cùm

enim

enim ſine ipſis Conventus convocari nequirent, nec hi Pontificis ſacro oraculo, quod Prophetæ loco tunc erat, indigerent, & ſibi Sacerdotes alii, & Legis Doctores ſubderentur, habebant ſcilicèt, quod nullo unquàm tempore Reges habuerant; confluxerant enim ex Synedrii, Populique voluntate in eundem hominem Pontificia, Regalis, & oraculorum propheticorum explicandi Poteſtas. Regum hujuſmodì poteſtati augendæ occaſionem ſuffecere, poſtremis illis collabentis Judaicæ Reipublicæ temporibus, Sectæ inter Synedrii Collegas gliſcentes Saducæorum, & Phariſæorum, quorum primis ditiores, ſecundis promiſcua multitudo, adhærebant. Hircanus Simonis filius Phariſæorum favore ſibi conciliato, Patris in ſe derivatam, tamquàm ex aſſe, pontificiam, & regiam poteſtatem, mirum in modum auxit; at firmato ſemèl in rebus gerendis arbitrio, à Phariſæis ad Saducæos defecit adeò, ut eorundem traditiones abrogaverit. Alexander Jannæus Patris conſilio minimè uſus, & Phariſæorum odio populi ſeditione vexatus, bello Judæos ad obſequendum coëgit, quorum ad octingentos armis devictos, crucibus ſuffigi juſſit. Moriens

riens aliud agendum, & ut omninò Pharisæorum favorem captaret, Uxori mandavit. Id cùm illa fecisset, consecuta est, ut, quod nunquàm in Republica factum fuerat, Mulier tamquàm legitima Judæorum Regina dominaretur ea potestate, ut in præsenti gravissimoque Populi totius discrimine, Synedri ipsi unà cum Pontifice negaverint sibi licere de remedio parando decernere, absquè ejusdem arbitrio. Agebatur autem de Aristobuli alterius ex filiis ausis compescendis, quibus Matre in vitæ periculo ob morbum constituta, Regnum vi, & armis sibi parare curabat, ac eodem Hyrcanum fratrem, cui primo loco natò deberi videbatur, privare, qua de re Joseph. Antiqu. lib. 13. cap. ultim. Seriùs, quàm par fuisset auctam nimis Regum suorum potentiam doluere Synedrii Patres, qui Hyrcano, & Aristobulo prædictis de Regno disceptantibus apud Pompejum, licèt in partes studiis scissi, ajebant tamèn *se nolle esse sub Regibus, quòd Patrium institutum habeant, ut sui Dei pareant Sacerdotibus; hos autem duos esse quidèm è Sacerdotum genere, sed velle Principatum Gentis in aliam formam traducere, ut eam in servitutem redigant.* Joseph. l. 14. cap. 5.

XII.

XII. At serò nimis malo semel admisso medicina parabatur, quandòquidem factum est, ut Judæi in ditionem Romanam venerint; quamvìs enim Pompejus id tantùm visus sit velle, quòd Gens illa contracta ditione intrà veteres fines, tributo esset obnoxia, re tamen verà Gabinii opera Judæa omnis Provinciarum more in varios Conventus est discerpta, Hyrcano Hierosolimam deducto *curaturo templum, & suum Sacerdotium.* Rebus Romanis varias vices passis, Synedrium, & Hyrcanus in speciem tantùm visi sunt suo Jure uti, verùm rerum omnium arbitrium penès Antipatrum resedit; factum est enim, *ut haud secùs, quàm si Rex esset à tota Gente coleretur, & in tali haberetur honore, qualis non dedeceret Dominum*, ut Joseph. lib. 14. cap. 17. ipsius enim Herodis filii benè gestis Romanorum gratia, quidquid libertatis, quidquid decoris Judæis restitutum est, id omne illis acceptum referri debebat. Ità Pontifice, & Optimatibus in ordinem velutì redactis, Jus eorundem primò elusum, deindè palàm spretum est, cùm Herodes nondùm Rex, *præsetulit, quòd non esset compariturus, si denuò citaretur ad Judices*, imò Exercitu parato, movit in Synedrium, unà,

& in Regem, qui & Pontifex erat, nec à cæptis destitit, nisi Patris, Fratrisque precibus placatus, speque futuræ suæ magnitudinis allectus. At Herode à Romanis Rege Judæis dato, quanta is admiserit contrà jus fasque, undè in deteriùs semper Judaica disciplina abiit; quomodò Synedrii Patres excepto Samea occiderit, qua potestate Pontifices pro libito creaverit, removerit, interfecerit, intelligi potest ex prælaudato Josepho lib. 13. variis capitibus, præcipuè 2. & 11. Quæ quidèm cùm in hunc modum evenerint, confici posse credo contrario prorsùs ordine rem processisse, ac doctissimi Scriptores tradidere, Reges videlicèt postremos Judæorum, collata primùm eidem Simoni Assamonæo amplissima potestate Pontificis, ac Ethnarchæ, in plurimis à Synedrii foro exemptos, undè Posteri Dominatu potiti sint, Numine in pœnam admissorum criminum hujusmodì vim illatam ratam habente; Veteres autem, qui captivitatem præcessere, quorum nullus Pontifex fuit, vel tanta potestate donatus, à Pontifice, Synedrioque judicatos, Legi, Sceptro videlicèt, Prophetisque, tamquàm Duci, paruisse. Hac verò temporum, & rerum distinctio-

ne

ne adhibita facilè iis, qui ad Rabinicæ doctrinæ criterium omnia examinanda volunt, conciliabuntur Magistrorum, ut vocant, sententiæ, quæ primo intuitu contrariæ videbantur; quòd scilicèt qui asserunt Regem Synedrii judicio subditum, id de Regibus, qui Captivitatem præcessere, intelligant, tùm videlicèt in Judæorum Republica imperantibus, cùm nullus ex Regibus Pontifex, & cùm Prophetæ improbissimos quosque de Legis majestate admonebant; qui verò Regem non judicari dicunt, id de Captivitati eidem subsecutis, recentioribusque usquè ad Christianæ Legis initia. Placet etiam illorum sententia, qui eo sensu Reges non judicatos asseverant, quasi non jus, sed factum potiùs describatur, quatenùs significetur statutum ne Reges quidam judicarentur, ex eo quòd improbi adeò essent, ut correctio eorundem minimè speranda, sed potiùs scandala timenda essent. Ità illud Misnæ tit. Sanhedrim cap. 2. & alibi המלך לא דן ולא דנין אותו *Rex non judicat, nec ipse judicatur*. In hunc modum explicat Maimonides halach. Melacim cap. 3. *Reges Familiæ Davidicæ, & judicabant, & judicabantur, etiam testimonium adversus ipsos præbere licuit.*

licuit. At verò de Regibus Iſrael decrevere Sapientes eos nec judicare, nec judicari, nec teſtimonium præbere, nec in ipſos præberi teſtimonium, quoniàm corda eorum ſuperba fuere, nec aliud indè maneret præter ſcandalum, atque abolitionem inſtitutorum Legis. Ità & Rabbi Joſeph in Gem. Babilon. ad tit. Sanhedrin; quod de Regibus recentioribus etiam intellectum, adeò, ut cæptum Regem non judicari ſub Alexandro Jannæo, ex quadam Hiſtoriola in eadem Gemara, narretur, de quibus videri poteſt Seldenus de Synedriis lib.2. cap.14. & lib.3. cap.9.

XIII. Satis, ut reor, ex uſquè modo deductis conſtare puto de his, quæ in Judæorum Republica tùm ad formæ ſubſtantiam ſemper ſpectarunt, tùm acceſſione ex Dei indulgentia admiſſa ſunt, ac etiam de his, quæ Deo potiùs puniente, quàm ratum habente à Gentium moribus, & dominatu accerſita, Judaico populo, ſupplicii cauſa, ſunt irrogata, primùm quidem captivitatis tempore in ſervitutem abducto, poſtmodùm Syro-macedonum regimini ſubdito, indè ſuorum διχοτομία, ac tandem Romanorum viribus attrito. At ſi quæratur in tali rerum ſyſtemate, an Judæi, cùm vel captivi apud Me-

Medos, Persasque degebant, vel Syracidarum imperio parebant, vel Romanorum jugo premebantur, vel demùm Regum suorum non regio, sed despotico, ac impotenti dominatu affligebantur, ab intrinseca sui regiminis forma excidissent, itàut nec *Regale* illud *Sacerdotium*, nec *jus* illud *divinæ Majestatis* extaret ampliùs, & si quid in multiplici eo rerum discrimine pro Principum beneplacito vel forense, vel judiciarium agebant, id totum seù ex eorundem Principum jure flueret, vel ex ipsorum Judæorum *fœderata*, ut vocant, *disciplina*; facilis ex suprà disputatis est horum omnium resolutio. Planè enim consequitur nunquàm non fuisse in Judæorum Gente jus Majestatis divinæ, licèt ad tempus in actus minimè deduci posset, & cùm magis, minusve idem jus exercebatur, pœnæ à Numine irrogatæ, rigore aliquo ex parte remisso, id factum fuisse ex juris ipsius natura, minimè verò acceptum referri potuisse Principibus id permittentibus, qui meri in hac parte Numinis, pœnæque Ministri erant, nec vim traxisse ex eorundem Judæorum voluntate, qui ex fœderata disciplina convenissent. Duo enim mihi sunt prorsùs certa, unum

sci-

scilicet, quod jus illud, quo Judæorum Respublica stetit à Deo immediatè fluxit, Deo ipsi immediatè colendo institutum; alterum quòd Jus hujusmodi *Sceptro*, ac *Duce*, *Lege* videlicet, ac *Prophetis* constans, tolli non poterat, seu potiùs perfici, & in nobiliorem formam renovari, nisi Messia veteres figuras implente, & novam Legem, quam vetus adumbraverat, condente. His verò non obstantibus adnotandum æquè est, ex Principum jure habitum illud omne, quod minimè ex Judaicæ Reipublicæ forma haberi poterat, quatenùs totum à fœderibus cum Gentilibus pactis, & ab eorum concessis, & respectivè acceptatis privilegiis, pendebat; uti cùm Judæi jure Macedonum Alexandriæ ab Alexandro, Antiocheno à Seleuco, Civitatis, Latino, vel Italico à Romanis donati sunt; neque enim id ex Lege oriri poterat. Quarè sicuti ob ea admittebantur ad Civium commoda, iisque legitimè fruebantur, ita onera eorundem ferre tenebantur, & Principibus obedire, ac tributa persolvere, omniaque eorum nutu peragere, quæ cæteri Cives, salva suæ Reipublicæ substantia, ac illæso divinæ Majestatis jure. Huic Jurium distinctioni nitebatur

tur divinum illud Servatoris nostri responsum Herodianis Pharisæorum nomine interrogantibus datum, liceret tributum solui Cæsari, an non? *reddenda esse* videlicet *Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; quatenùs in eo rerum Judaicarum statu servato Jure divino Judaico, quo adhuc stabat *Regnum* illud *Sacerdotale* mox perficiendum, quamvis in actum minùs deduci posset, redderentur Cæsari ea, quæ se reddituros Judæi promiserant, vel ex fœdere civilis societatis, quo in Romana ditione degebant, vel ex civium Romanorum jure, pactisque ultrò, citròque sancitis. Media proindè hoc modo via mihi incedendum reor inter veterem Judæorum sectam, illorum scilicet, qui Romanorum Imperio se subducere conabantur, & recentiorem quorundam Politicorum sententiam, qua non modò in Judaica Republica Jus omne sacrum à temporali Regum potestate dependisse prætendunt, sed & id decernunt de temporali, & Pontificio, forensi, quod omne ab Ethnicorum Principatus, tùm in Captivitate, tùm Græcis, & Romanis rerum dominis, jure fluxisse defendunt. Quod autem ad prius veritatis extremum pertinet, de Judaica illa secta scri-

bit Hieronymus in cap. 3. Ep. ad Titum ad illa verba; *admone illos Principibus, ac Potestatibus subditos esse, obedire ad omne opus bonum. Quod quidem præceptum*, ait, *& hic, & ibi* (ad Romanos videlicet cap. 13.) *propterea pato editum, quia Judæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, & habebat plurimos sectatores, cujus & in Actis Apostolorum fit mentio, Scriptura referente: ante hos enim dies surrexit Theodas dicens quemdam se esse magnum, cui appositi sunt Viri quasi tria millia: & post hunc surrexit in diebus census Judas Galilæus, qui inter cætera hoc quasi probabile proferebat ex lege: nullum debere Dominum nisi solum Deum vocari, & eos, qui ad templum Decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere. Quæ hæresis intantum creverat, ut etiam Pharisæorum, & multam partem populi conturbaret, itaut ad Dominum quoque nostrum referretur hæc quæstio; licet Cæsari dari tributum, an non?* Benè autem admonemur sectam illam, seù hæresim, ut illam vocat Hieronymus, Christo adhùc inter homines degente viguisse; etenim Josepho teste de Bello lib. 2. cap. 7. constat illam invectam Simonis cujusdam Galilæi opera, cùm Archelai Tetrarchia in Provinciæ formam

redacta, Coponius in eam Procurator est missus. Simon autem *defectionis arguebatur, quia Indigenas increparet, si tributum Romanis pendere paterentur, Dominosque post Deos, ferre mortales.* Contrà alteriùs extremi Assertores pugnant, quæ fortitèr, justè, propitioque exitu egere Assamonæi Mattathiæ Filii, cùm in Antiochum, patriam Judæorum Legem evertere aggressum, strenuè insurrexerunt, ac tandèm suæ Genti, excutiendi Exterorum dominatus, & regnandi viam paraverunt. Quandòquidem, si quo antè id temporis utebantur Judæi in sua Republica Jus, à Jure Syracidarum dependisset, nullo justitiæ colore in Antiochum movere potuissent, nec ulla præscriptione legitimè Assamonæi regnassent. Cùm itàque ageretur de Jure Majestatis divinæ tuendo, licuit vires exerere contrà Antiochum, illumque ab his etiam, quæ sinè Numinis injuria, in Judæorum Rempublicam poterat, deturbare. Secùs autem fuisset, si Judæi permissi suis Legibus uti, servatoque Reipublicæ jure divino, seditionis ansam quæsivissent renuentes reddere, quæ Antiocho Magno Antiochi illius impii Patri, tamquàm ex fœdere debita
red-

reddiderant, & quæ Seleuco regnante servanda cognoverant Ptolemæo Ægypti Regi, cui Antiochus prior Cleopatram filiam desponderat, concessis dotis nomine Cœlesyria, unà cùm Phœnice, Judæaque, & Samaria. Et hac quidem cùm distinctione accipienda sunt, ne in veterem Judæorum sectam impingamus, quæ eximius Scriptor Guil. Barclajus lib. 5. contrà Monarchomachos cap. 19. (vereor ne suæ sententiæ omninò cohærens) tradit Boucherio respondens. *Quamvis, ait, Judæi frequentèr, ob sua, Principumque suorum scelera in vicinorum Populorum ditionem, & servitutem Dei permissu fuerint redacti, tamen nemo extraneus ante Messiæ adventum legitimum in eos imperium ulla temporis præscriptione potuit acquirere, aut jure suo impedire, quominùs, ubi vires illis, & voluntates suppeterent, se se in libertatem sivè Religionis, sivè Reipublicæ causa vindicarent; non est igitur cur illustria illa Machabæorum facta in præsentis negotii disceptationem transducas.*

XIV. Hæc omnia cùm benè perspecta haberent illi, qui inter Judæos de Reipublicæ suæ excellentia saniùs sentiebant, nil antiquiùs habuere, quàm quoàd fieri potuit sui

Juris exercitium servare, etiam in Captivitatibus gementes, etiam exterorum Principum potestatibus subjecti; nec ab eo jure mordicùs tuendo destitere, etiam cùm nullum revera habebant, tunc videlicèt, cùm veteribus figuris impletis, Sceptrum de Juda ablatum fuerat, & Dux de femore ejus, hæcque ad novam Christi Ecclesiam translata. De antiquissimis Populi in Captivitate Principibus, sivè Æchmalotarchis plura in rem præsentem scribere hìc non lubet paulò infrà exponenda.. Illud usquè modò tractatis adjecisse sufficiat, quòd licèt, ex Darii Histaspis filii amicitia Zorobabel Populi Dux declaratus fuerit, ut Josepho narratur Antiqu. lib. 11. cap. 4., licèt Xerses Darii filius Esdræ dederit, *juxtà concessam divinitùs sapientiam*, constitueret *Judices*, *qui per Syriam*, *ac Phœnicem jura* redderent, cum potestate etiam *mulctæ imponendæ*, *capitisque damnandi* criminosos, ut idem lib. eodem cap. 5. & Esdræ lib. 1. cap. 17. id certè Judæorum nullus, Regi acceptum se referre debere credidit, sed potiùs Dei beneficio existimavit redditum quod injustè ablatum fuerat, quandòquidem id omne sibi deberi ex Lege noverat. Idem statuendum

est

eſt de his, quæ poſtmodùm Syriæ, & Ægypti Reges, quæque Julius Cæſar, Antonius, Auguſtuſque, vel Senatus, Populuſque Romanus conceſſere ad Legis exercitium ſpectantia, licèt ſecùs dicendum ſit de Civitate Romana donata, aliiſque hujuſmodi privilegiis circà adiaphora. Sic Pontifices ab Ethnicis Principibus conſtituti, Reges non Dei nutu electi, ſed à Romanis dati, antè Judaici populi conſenſum, nullo legitimo jure fruebantur in his, quæ ad ſacræ Reipublicæ formam pertinebant, licèt aliàs Gens Judæorum vel tamquàm fœderata, vel uti Ditionis Romanæ pars, ea reddere teneretur, quæ divinam ſuæ Reipublicæ Majeſtatem non lædebant.

XV. Quæ uſquè modò in ſuperioribus tractata ſunt, Juri Judaico explicando præmitti debebant, ne facto ipſi exponendo, quod nunc agendum remanet, mihi incumbenti, quæſtiones de jure eodem incidentes, Hiſtoriæ lineam abrumpendi, neceſſitatem ſæpiùs crearent; facilè enim ex diſputatis agnoſcet quiſque, quid Legis cauſa cùm ſtetit, vel Legis prætextu poſtquàm ceſſaverat, quid contrà, quidve præter Legem admiſerint, paſſique ſint Judæi à Chriſti Eccleſiam ſuam

fundantis tempore, ad postremam Hierosolymorum eversionem. Urbs illa quandiù stetit Judæorum omnium, qui non modò intrà Terræ fines, sed & in cæteris Orientis partibus usquequàque juxtà jam dicta degebant, Metropolis una fuit. Eam Plinius ipse Hist. natur. lib.5. cap.14. laudat; *Hierosolyma longè clarissima Urbium Orientis, non Judeæ modò.* Philo lib. in Flaccum idem expressè tradit. *Judæos*, inquit, *una regio non capit propter hominum multitudinem, quamobrèm plurimas, ac fortunatissimas Urbes in Europæ, Asiæque Provinciis, ac Insulis incolunt, pro Metropoli habentes sanctam civitatem, in qua Templum altissimo Deo sacratum est*. Idem & Agrippa Rex ad Cajum scripsit loco, quem suprà retulimus §. hujus capitis 2. Ea in Urbe Pontificis, ac Synedrii magni majestas, tanquàm Reipublicæ totius (non modò quà Judæam, sed & quà latè Orientis, Europæque regiones occupabat) centrum, & unitatis apex eminebat, undè fluebat omnis illa potestas, qua & minora Synedria, & cujusque Synagogæ Patres sacra, & humana moderabantur pro rerum, locorum, & temporum ratione. In hujus rei signum, *ne apud privatos quidem focos*

cos

eos inquit Philo lib. 2. de Monarchia, *licet rem divinam facere, sed vèl ab extremis terris ad hoc templum proficisci jubentur sacrificaturi*; & pecuniarum vis magna quot annis illùc afferebatur, cùm Judæorum quisque ab anno ætatis vigesimo, juxtà Legis præscriptum, & pro fortunarum modo, primitias solvere teneretur; *quarè*, inquit Philo laudatus, *cùm Gens illa esset populosissima procùl dubio hæ primitiæ maximam rerum copiam suppeditabant*. Explicat autem quo ordine primitiæ hujusmodì colligerentur, subdens; *quo circà penè oppidatim sunt sacra eraria, ubì mos est deponi primitias*; *quam sacram pecuniam certis temporibus Legati ad Templum perferunt, delecti ex cujusque Civitatis Optimatibus*. Licèt autem prætendi possit nullam jurisdictionis speciem præsetulisse frequentem Judæorum concursum ad Metropolim ex dissitis Orientis, Evropæque partibus, quippe qui merum Numinis cultum importasse videatur; id enimverò dici nequit de primitiarum hujusmodì erogatione, quæ fieri non poterat absquè eo quòd Imperii Romani Provincialibus magno damno esset, ac proindè in juris Romani diminutionem cederet, cùm grandis illa auri vis in-

sin-

singulos annos à qualibet Provincia Judæis habitata, asportata, Judæorum Pontifici, & Sacerdotibus ex parte inserviret, ejusque quod reliquum erat intrà unius Templi cimelia nullo Romanæ ditionis usui futurum reconderetur. Id inter jura reponendum, quibus Respublica Judæorum usa est etiam cùm Romanis paruit, quo videlicèt omnes ubiquè degentes Judæi tributo velutì, Hierusalem tanquàm unitatis centrum, agnoscebant, probant Provincialium Magistratuum iræ, & conatus, quibus sæpius curatum est, ne pecuniæ hujusmodì asportarentur, & Judæorum constantia conatibus hujusmodì contranitentium; eorundem etiam secta, quæ, perperàm licèt, credebat tamen à jure primitiarum exigendarum, elidi tributi civilis exigendi Jus Romanum; ac deniquè Augustorum constans praxis (cui Cæsar ipse, & Antonius præluserant, duravitque etiam post Templi, & Urbis eversionem usquè ad Sæculi quinti Christiani dimidium, cùm non Templo, sed Judæorum Patriarchæ Primitiæ solvebantur) edictis pecuniæ Judaicæ erogandi, asportandique facultatem, concedendi, adimendique. Scilicèt extant apud Josephum, & Phi-

Philonem ejus rei argumenta præclara pro illis Judæorum temporibus, quibus Metropolis, & Templum ſtetit. At nullum validius eo, quod Joſephus ipſe de Bello lib. 7. cap. 13. exhibet, ubi Titum inducit incenſo Templo peremptoria illa Oratione ad Judæos in hæc Verba loquentem; *Itàque vos contrà Romanos, ipſorum excitavit humanitas, qui primùm vobis, & Terram dedimus poſſidendam, & gentiles impoſuimus Reges, deindè Leges ſervavimus patrias, & vivere vos non ſolùm diſcretos, ſed cum aliis etiàm, veſtra voluntate, conceſſimus; quodque maximum eſt, tributum capere Dei nomine, ac donaria colligere permiſimus, eaque offerentes nequè monuimus, nequè prohibuimus, ut hoſtes nobis efficeremini ditiores, noſtraque pecunia vos contrà nos inſtrueretis*. In Codice utroque adſunt Leges ad Avri, ut vocabatur, Coronarii ſolutionem ſpectantes, quod cùm primùm primitiarum nominè Templo, ex Legis præſcripto offerretur, Patriarchæ poſtmodùm ceſſit ab Orientis, & Occidentis Synagogis ſolvendum; nec enim omninò deſiiſſe, niſi fortaſsè per aliquot annos à Hieroſolymorum per Titum facta everſione, arbitror oblationes, cùm de Judæorum Patriarcha mentio

tio habeatur in Hadriani Epiſtola Vopiſco relata, quamvìs eodem Joſepho teſte Libro prædicto cap. 26. *Veſpaſianus ſtipendium ubicùmque degerent Judæis indixerit, binaſque drachmas ſingulis annis deferre in Capitolium juſſerit, ità, ut antehàc Hieroſolymorum Templo pendebant*. Id certè in recepti Juris monumentum. At ſi in re clariſſima plura quis exigat adſtruentia Synedrii jus, & Pontificis potiſſimùm fuiſſe exigendi à ſingulis Judæorum ubìvis degerent primitias, decimaſque; præclaram ejus rei probationem nanciſcetur ex Manaſſis à ſuis tranſfugæ actis, qui Templum Garizimiticum conſtructurus ubì Pontifex maximus cum ſuo pſeudoſynedrio judicaret, ut plures ad ſuam ſectam adduceret, nil ſe exacturum promiſit contentum ſpontaneis donariis; qua de re Salomon Ben *W*irga in Shèbèt Jehuda; *miſit* inquit *præconium in regiones circumvicinas, quicumque ad Templum ſuum venirent neque primitias, neque decimas eos daturos, ſed tantùm ſpontanea donaria: neque Deo grata eſſe, quæ cogerentur, ſed tantùm ſpontanea, undè pauperum animos ſibi conciliavit*. Oppoſitum ergò Pontifex Maximus, Synedriumque Hieroſolymitanum ſentiebat, ſibi vi-

bi videlicèt ex Legis divinæ præscripto jus esse primitias, decimasque ab unoquoque Judæorum, ubivis moraretur, exigendi.

XVI. Cùm autèm adeò certum sit, compertumque ex Magistrorum scriptis, ut nil certius compertiusque, alterum argumentum unitatis Judaicæ, & ejusdem verticis in Templo Hierosolymorum residentis, potestas videlicèt judicialis omnimoda Synedrii LXXI. viralis in לשכת הגזית, pleniorque, quàm, quæ minoribus quibuslibet Synedriis competeret; antequàm de ea re agam, expedit pro assumptæ provinciæ argumento explicare quid sentiam circà quæstionem illam, quam satìs perplexam reddidere doctorum Virorum in diversa abeuntium vota; an videlicèt Christi Domini nostri morientis tempore, proximèque subsecuto, usquè ad Urbis, Templiquè excidium Synedrio illi magno Jus Vitæ, Necisque fuerit, nec ne. Ex Talmudicorum pleno consensu constare videtur *quadraginta annis antè excidium Templi secundi, cessasse capitalia judicia ex Israel*. Galatini de Arcanis lib. 4. cap. 6. aliorumque, calculis adhibitis, ea sententia est, ob falsum judicium in Christum prolatum, Synedrium à loco suo, ubì criminalia judi-

judicia exerceri poterant, translatum, jure suo excidisse. At chronologicam rationem inficiatur Seldenus de Synedriis lib. 2. cap. 15. n. 8. contenditque ex eo non subsistere, quòd *quadragesimus antè Urbis excidium annus Judicium D. N. Jesu Christi triennio, aut biennio juxtà calculum videlicèt vulgarem antevertit*. Verùm minimè antevertit, sed uno saltem anno posterior est, si veterum Patrum sententiæ adhæreamus, qui Christi Domini Mortem duorum Geminûm Consulatu, anno videlicèt æræ vulgaris vigesimo nono, consignabant. Seldeni præthereà ea mens est, ut à prima illa Synedrii migratione usque ad Templi excisi tempus, sentiat non fuisse eidem ademptum Jus circà capitalia Judicia, sed exercitium potiùs Juris ejusdem liberè migrando ab Lifkat intermissum, eo quòd tutò, vel cum effectu ob rerum, & temporum vices haberi minimè posset, quinimò dicendum esse ex Tosiphtha ad tit. Cethuboth. cap. 3. & Aboda Zara cap. 1. *eos*, Synedros videlicèt, *quotiès decernerent tempus opportunum esse, rediisse in Conclave illud, ibique judicasse*, idque factum non dubitatur in Christi Domini judicio ad Gem. Babylon. tit. Sanhedrin cap. 4.

Quo-

Quotiès decernerent tempus esse opportunum, rediisse dicuntur in Lifkat bagazith; quemadmodùm ob causam Jesu, & quæ similia sunt. Trahi tamèn non videtur posse ad exercitium hujusmodì impeditum, quod Judæorum Proceres Pilato dixere; *nobis non licet interficere quemquam*. Nec enim credibile est permittentibus Romanis Synedrio criminalia judicia, ea occasione Procuratori vel ignaviam, vel injustitiam exprobrare voluisse, qua criminibus impunitas fieret, quem conatibus suis consentientem quærebant. Josephus Scaliger Talmudicam, & Rabinicam illam judiciorum cessationem tamquàm fabulosam explodit, & contendit omne circà criminalia Jus à Judæis ablatum cùm, Archelao in exilium pulso, Judæa in Provinciæ formam redacta est; at ægrè admitti potest quod ille vult in Animad. ad Eusebium; verba videlicèt Pilati ad Judæorum Primates; *accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum*, insultabundè & εἰρωνικῶς dicta; quandòquidem nec tempori, nec rei, nec aliis à Pilato actis, qui libentèr à judicio ferendo se exemisset, congruit sensus insultabundus, & ironicus verborum hujusmodì. Scaligerum tamen plu-

res

res magni nominis Viri secuti sunt, ac inter cæteros Petrus Daniel Huetius in Notis, & Observ. ad Originem. Placet sententia, Synedrium de criminalibus judicasse usquè ad Templi excidium, quam novissimè post Erastum, Seldenum, Wagenseilum, aliosque, defendit doctus Scriptor Antonius Bynæus; De morte Jesu Christi lib. 3. at placet adhibita duplici distinctione. Quatenùs scilicèt sensu à Seldeno explicato intelligantur Judæorum Magistri summa concordia Synedrii migrationes à loco suo narrantes, quarum prior anno quadragesimo antè excidium Templi acciderit, & ideò cessasse criminalia judicia, non quòd ablata fuerint à Romanis, coactive Judæi à Templi loco migrare, sed quòd liberè migrare ipsi voluerint, ad libitum etiam illùc pro rerum opportunitate reversuri; & ulteriùs, quatenùs Jus hujusmodì credatur non omnium criminum cognoscendorum fuisse, sed eorum tantumodò, quæ ex Legis Judaicæ intrinseca forma violata, procedebant, reservatis Augusti Procuratori, quæ immediatè Majestatem, Jusque Romanum lædebant. Duplex hujusmodì Jus clarè constat ex Evangeliorum historia, etenim ad

Ju-

Judæorum Tribunal reus Mortis pronunciatur Christus, quòd se filium Dei dixerit, blasphemiæ enim crimen ad Synedrium spectabat; apud Pilatum verò tamquàm Crucis reus agitur, quòd prohibuerit tributum dari Cæsari, & seditione in populo tentata, Regem se fieri curaverit, quòd à Pilato, tanquàm Cæsaris Procuratore cognoscendum erat. Cùm itàque Pilatus Judæis dixit; *accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum;* Jus blasphemi plectendi Synedrio asseruit; ubi verò Synedri reposuerunt; *nobis non licèt interficere quemquam*, fassi sunt nullum sibi Jus competere de criminibus Augusti Majestatem lædentibus, cognoscendi. Cùm autem à Pilato Christus Augustæ, & Romanæ Majestatis læsæ reus est pronuntiatus, supplicio Crucis addictus est, qui si de blasphemia à Synedrio judicatus fuisset, non Crucis supplicio, sed lapidibus damnatus, contrà quod prædixerat, obiisset; ideò Johannes à Judæis Pilato dictum, *non licet nobis interficere quemquam*, referri debere ad Crucis supplicium ostendens, immediatè subjunxit; *ut sermo Jesu impleretur, quem dixerat, significans, qua morte esset moriturus*, quod Edmundo Me-

 ryllio

ryllio adnotatum in Not. Philol. in Pass. Christi. Ob horum Jurium distinctionem, in Apostolorum Actis facilè est videre, ad Synedrii cognitionem deducta, quæ Legem, Numen, Templum violatum præseferre prætendebantur; seditiones verò, & alia Status, ut vocant, rationem tangentia, ad Præsidem relata. Paulus etiam, qui apud Tribunum ne cæderetur, Lege Portia, aliisque Romanis; apud Synedrium, ne os sibi percuteretur Anania jubente, Lege Judæorum se tuebatur, ac ipse idem, qui tanquàm Romanus Civis à Romanis cæsus non est; *qui inquies*, Synedrio decernente, *quadragenas plagas una minus accepit*, ut Judæus.

XVII. Judicium de Christi Domini nece, quod totum Hierosolymis à Pontio Pilato Tiberii Procuratore peractum est, satis argumento est, si cæteris ad Jus Judaicum spectantibus addatur, nullam Templo stante in Judæa Civitatem fuisse, quæ potiori inter cæteras loco haberetur, Hierosolyma. De Cæsarea Palæstinæ proindè agendi hìc locus est, & videndum quibus gradibus, & quo tempore Metropolis decus adepta sit. Notum autem est ab Herode Rege in Augusti honorem conditam, summoque sumptu

ptu dedicatam, cùm anteà ibidem loci Vicus esset, quem Plinius Appolloniæ nomine vocat, Josepho autem Stratonis πύργος dicitur. Circà initium Neroniani Imperii Felicis Judææ Præsidis postremis annis cæptum primùm à Gentilibus Cæsareæ incolis Judæos à Jure illo deturbare, quo usquè ad id temporis nemine contradicente, Cæsarea veluti Judaica Colonia habita fuerat, contendentibus Gentilibus Syris se nullo modo ad Judæos pertinere. *Alter autem tumultus*, inquit Joseph de Bello lib. 2. cap. 12. *ortus est circà Cæsaream, intèr Judæos scilicèt, qui ibì permixti habitabant, & Syros, seditione commota. Hi siquidèm postulabant, ut eorum esset Civitas, Judæum ejus fuisse Conditorem dicentes, erat autem Rex Herodes. Æmuli verò Conditorem quidèm confitebantur Judæum, ipsam verò Civitatem fuisse Gentilium vendicabant, nequè enim illic Statuas, & Fana potuisse constitui, si ad Judæos eam Conditor pertinere voluisset*. Cùm res armis, seditioneque ageretur, *Felix minaci Edicto præcepit Contumaces quosque urbe discedere; indè manente seditione nobiles utriusque partis electos, Legatos misit ad Neronem de Jure disceptaturos*. Felici, Festus successor datus

K 2 est,

est, cui demortuo circà vulgaris Æræ Christianæ annum LX. Albinus sufficitur, & huic Gessius Florus, quo Præside erumpentibus jàm tùm Júdaici Belli initiis, Lis illa apud Neronem dirempta est, & *Cæsarienses Gentiles victores extitere, decretumque istud contestantes literas attulerunt*; eodem Josepho teste cap. 13. Paulò igitur antè quàm Vespasianus in Judæam Legatus Proprætor Belli Judaici gerendi causa veniret, Cæsarea Gentilis ad Judæos minimè originis ratione spectare, est declarata, & Vespasiano ibidèm tanquàm in Belli arce degente, eo honore aucta est, ob quem Hierosolyma Judæorum Metropoli propèdiem à Romanis delenda, ipsa inter circumpositas Urbes emineret. Quid nì hùc sit referendus Neronis Nummus, in cujus aversa parte legitur ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Μ. L. ΙΔ., de cujus lectione acerrimè disputatum est inter Viros eruditos? Idem fortassis dicendum de similibus ad postremos Neronis annos spectantibus, videndisque apud Harduinum in Herodiadum Nummis. Obtentæ contrà Judæos causæ monumentum fuit Numisma, in quo Cæsarea *ab Augustis* vel magna, vel Metropolis dicitur, ne de-

ne decora hujusmodì ab Herode, Judæisve fluxisse crederentur. Verùm ne nota M. Metropolim significare credam, quæ subjicientur cogunt. Vespasianus post Neronis interitum Imperium adeptus, Templo, Urbeque per Titum excisis, Cæsaream Coloniam fecit, qua de re Paulus J. C. lib. 1. de Censibus; *Divus Vespasianus Cæsarienses Colonos fecit non adjecto; ut & Juris italici essent, sed tributum his remisit capitis; sed Divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est*. In Titi proindè Nummis Coloniæ, & Flaviæ, & Liberæ titulos primò habet, ut in eorum altero, in cujus aversa parte Mulier turrita visitur, cum epigraphe COL. CÆSAREA. LIB. ΦΑΑ. In Domitiani Nummis autem *Primæ* titulo aucta visitur, eoque insignis apparet, & in subsecutorum Augustorum monetis, Trajani, Hadriani, Antonini Pii, Marci Avrelii, L. Veri, Commodi, Caracallæ, Macrini, Diadumeniani, & Elagabali, nec enim titulus hujusmodì detorquendus est ad primam Legionem apud Cæsaream degentem, ut scitè eruditus Vaillantius ostendit. Sub Alexandro Severo tandèm, Coloniæ, Flaviæ, Liberæ, Primæque titulis, Metropolis postremus

adjectus est; in ejus enim Imperatoris Nummis hi omnes leguntur in hunc modum, similemue descripti C. P. F. A. FEL. CÆS. METR. *Colonia*, *Prima*, *Flavia*, *Augusta*, *Felix*, *Cæsarea Metropolis*. Ex hac rerum narratione patet Tacitum ex suorum temporum statu Cæsaream Palæstinæ *Caput* idest *Primam* dixisse Hist. lib. 2. 79. *discessere*, inquit, *Mutianus Antiochiam*, *Vespasianus Cæsaream*, *illa Syriæ*, *hæc Judææ caput*. eidem lib. 5. 8. *Hierosolyma Gentis caput* eodem titulo appellatur.

XVIII. At de Cæsareæ prærogativis satìs ad rem præsentem. Quæ ad Synedrii magni Primatum spectant dicenda sunt, indè videlicèt tanquàm à summo capite, potestatem omnem per Ordinationem derivatam in quoslibet inferioris ordinis Proceres, & Magistratus, qui, non modò intrà Palæstinæ fines, sed & in cæteris locis tùm Romani Juris, tùm Barbarorum ditionis contentiosa jurisdictione, uti intèr suos poterant. Etenìm minora Synedria videlicèt XXIII. & III. viralia conflabantur ex singulis, qui ordinati essent à tribus, quorum unus saltèm simili anteà ordinatione creatus fuerat, ac sic tandèm ea auctoritate donabantur,

quæ

quæ primùm à magno Synedrio per continuatam successionem effluxerat, quinimò circà Templi secundi excidium invaluit, ut nullus ordinari posset ritè, absque auctoritate Principis Synedrii magni. Id etiam semper obtinuit, ut nullus ad criminalia judicia exercenda aptus esset, nisi intrà Terræ fines ordinatus fuisset; quarè celebris memoria superest R. Jehudæ Ben Baba antonomasticè *Ordinatoris* dicti, qui, cùm Edicto Hadriani, ut creditur, Judæi à Terræ ingressu prohiberentur, ne judiciaria potestas, & ordinandi facultas in Republica deficeret, suo capitis periculo ausus est Terram ingredi, ubì *substitit*, ut legitur in Gemara Babyl. ad tit. Sanhedrim cap. 1. *inter duos montes magnos, & inter duas urbes magnas, & inter duo sabbati itinera, inter Osam, & Sepharam, & ibi quinque Presbyteros ordinabat.* Indè ibidem dictum quòd *si Is minimè fuisset, desiissent planè criminalia judicia.* Sicutì autem dubitari nequit viginti trium Virorum Synedria de criminalibus etiam capitalibus cognovisse & extrà terram, ac proindè ex legitimè ordinatis constasse, sic & cùm Triumviralia Synedria legitima erant, idem juris habuisse circà criminalia

ſaltèm,ac propterea Viris eadem Ordinatione illuſtribus conſtaſſe. Hæc proindè confundenda non ſunt cum Triumvirorum conſeſſibus, ubi Judex ritè ordinatus aſſumebat judicandi cauſa binos utcumque ei rei non ineptos, vel cum illis fortuitis, qui quandòque arbitrandi, ſeù compromittendi cauſa à partibus voluntariè eligebantur. Novi equidem hæc controverti apud doctiſſimos harum rerum Scriptores, at quòd Synedria etiàm triumviralia extrà Terram de criminalibus cognoſcendi poteſtatem habuerint, dùm intrà Terram id juris exercitum eſt, traditur diſſertis verbis à Maimonide tit. Sanhedrim cap. 5. §. 8. *Judicia mulctaria, ut de rapina, pignore, reſtitutione dupli, quadrupli, de eo qui Virginem ſivè vi comprimeret, ſivè illecebris pelliceret, & ſimilia, non judicabant Triumviri alii, quàm publicè conſtituti, qui eſſent etiam ritè ordinati in Terra Iſraelis.* Itàque quod habet eodem tit. cap. 14. §. 14. *tempore*, inquit, *quo judicia capitalia exercebantur intrà Terram Iſraël, exercebantur capitalia extrà Terram, modò Synedrium ritè ordinaretur intra terram.... quoniàm uſus legitimus erat Synedriorum tàm extrà, quàm intrà Terram*; ad Synedria vigintiumviralia

per-

pertinet. Quò autem Synedrorum in Triumviralibus Ordinationem innuat, & potestatem eorundem cognoscendi de criminalibus, Synedria hujusmodì legitima dicit; *licèt* בית דין שלשה *perfectum seù legitimum fuerit, quotiès nihilominùs plures fuerint, laudabiliùs erat*. Non ob hæc tamen abnuerim præter Ordinatos intrà Terram ad rem universam judiciariam tùm civilem, tùm criminalem fuisse, & alios, vel ad sola criminalia, vel ad sola civilia, vel ad legalia tantùm dirimenda, vel aliàs circumscripta potestate initiatos, qui prò temporum, locorum, rerumve exigentia ordinabantur vel intrà, vel extrà Terram, ubi criminalis potestas tradi nequibat; ajo tamen hosce ineptos fuisse, qui Synedriis legitimis adscriberentur, & cùm rem quamlibet componebant, vel juxtà traditam facultatem plures simùl de quavis re cognoscebant, ajo, inquam, Tribunal eorum, cujus potestatem explicat idem Maimonides tit. supra citato cap. 5. §. 8. nonnisi per quamdam cum legitimis Synedriis similitudinem potuisse Vocari בית דין. Hìnc si Maimonidis doctrina sibi constat, Synedria legitima, quæ videlicèt omne Jus criminale, vel capitale etiam habuerint, nullibì fuere

ter-

terrarum ab eo tempore, quo intrà Terram capitalia eadem Judicia cessaverunt, nec eo nomine digni fuerunt, vel sunt quilibet Judæorum Confessus, licèt aliàs, vel modò ex Principum indulgentia, in quorum ditionibus degunt, cognoverint, vel cognoscant adhùc de legalibus non modò, sed & de pecuniariis quibusdam. Patet etiam cùm Synedrium LXXI. Virorum in Templo stetit, sensisse Judæos Jus suum ex eo primariò derivatum, ubiquè Terrarum in minoribus Synedriis obtinuisse, quamvìs fortasse de facto, omninò, vel ex parte impediretur, nec ab Ethnicorum Principum Jure acceptum; quod cùm negant doctissimi Viri, à Magistrorum sensu, velint nolint, longissimè recedunt.

XIX. Quod autem ad Synedriorum constituendorum rationem pertinet, illud præ cæteris notandum, intrà Terram Synedria sedisse in omnibus Civitatibus vel vigintitriumviralia, vel triumviralia pro Incolarum videlicèt numero. Etenìm ad vigintitriumvirale constituendum requirebantur centum viginti Judæorum capita, ad triumvirale verò tot, quot sufficerent decem illis rebus præstandis, seù administrandis, quæ necef-

necessariò requirebantur ut licitè degeret Discipulus Sapientis, de quibus in Misna tit. Maccoth. cap. 1. Extrà Terram verò ubì Judæi sub Gentilium potestate agebant, non in singulis Urbibus, sed in singulis tantùm Provinciis Synedria sivè vigintitriumviralia, sivè triumviralia judicabant. Primum de Synedriis in unaquaque Terræ Civitate constituendis ex Deuter. cap. 16. desumebatur; שופטים *Judices* ושוטרים *& Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio*; ubì grecæ versiones habent ἐν πάσαις ταῖς πόλεσι σοῦ *in omnibus Civitatibus tuis*. Secundum ex allato Deuteronomii loco collato cum altero Num. cap. 35. loquente de Judæis tàm extrà, quàm intrà Terram degentibus; *hæc sempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus vestris*; ad quem locum Misna tit. & cap. citatis; *Synedriorum usus tàm intrà, quàm extrà Terram*. Gemara autem Babilon. *Hoc indè natum est quòd Rabbini nostri tradiderint illud; hæc sint vobis in præceptum judicii per generationes vestras, docere nos quantùm ad Synedria, eorum usum esse debere, tàm extrà, quàm intrà Terram; quod si ità ac-*

cipien-

cipiendum, quid illud; in Portis tuis? In Portis tuis conſtitues Domus judiciorum in omni provincia, Tractu, ſeù Pago, & in qualibet urbe; extrà verò Terram conſtitues in Provincia, ſeù Tractu quolibet פלך ופלך*, ubì neceſsè non eſt, ut in qualibet Urbe eos conſtitues.* Horum ſenſus eſt, ideò ubi agitur de Terræ Judaici Juris Synedriis, dici, *in omnibus Portis tuis*, id autem minimè haberi ubi de Judæis ſermo eſt alibì degentibus, quibus tamen & Judiciis uti conceditur, quia Legislatoris mens fuerit, in Terra Judaici Juris conſtituenda fore Synedria in omnibus Civitatibus, at in terris alienæ Ditionis, conſtituenda tantùm in ea cujuſvis Provinciæ parte, ubì opportuniùs videretur. Ex hac autem Synedriorum conſtituendorum regula fiebat, ut ſicutì Synedrium majus in Sancta Civitate, & in Templo conſidens, licèt omnibus ubìvis locorum conſtitutis, majus præeſſet, illaque huic Jus ſuum ab origine, Ordinationis cauſa, acceptum referrent, ſpeciali tamèn modo Synedriorum Terræ caput eſſet; itàut extrà Terram Synedria toti Provinciæ, ſeù Tractui, in quo conſtituta judicabant, capita veluti præſiderent, ipſiſque ſubjicerentur in criminalibus omnes Judæi

in Pro-

in Provinciis ſingulis degentes, & civilium, legaliumque cauſarum ſivè Triumviri, ſivè ſingulares Judices ad ſua munera ordinari poſſent, & in eis exercendis, ſi quid difficilius incideret, vel Collitigantibus placeret, modo mox explicando, ad Provinciæ Synedrium recurrerent. Ob ſpeciale illud Jus quo Synedrium LXXI. virale Terræ Synedriis præerat, totus Terræ Sanctæ Tractus licèt in plures Tribus diſtinctus, una tamen Provincia, ex pluribus Provinciis compoſita reputabatur, quarè Buxtorfii in Lexico Talmudico ea eſt regula; *apùd Rabbinos quando* מקדש *&* מדינה *ſibi opponuntur, tùnc per* מקדש *intelligi Sanctuarium Hieroſolymitanum cum tota Urbe, ſivè* ירושלים כולה *& per* מדינה *intelligi* שאר העירות שבכל ארץ ישראל *reliquæ Urbes quæ ſunt in tota Terra Iſraëlis.* Quò adducuntur ex Maimonide in tit. de initio anni cap. 4. priora illius capitis; *die feriata novi anni, qui inciderit in ſabbatum* במקדש *in Sanctuario, & Urbe clangebant buccina, ſed non* במדינה *in Medina, ſeù Provincia,* & Maimonides ipſe; *dudùm oſtendimus aliquotiès* מקדש *vocari etiam Hieroſolymam totam, &* מדינה *reliquas Urbes Terræ Iſraëliticæ.* Ea autem in re, quamvis Seldenus contrà Buxtforium con-

ten-

tendat de Synedr. lib. 3. cap. 11. n. 3. ex Obadiæ Bartenori, aliorumque Rabbinorum ſenſu per מקדש non Hieroſolymam, ſed Sanctuarium tantùm intelligi, & verba illa אל במדינה ſignificare, *nec in Hieroſolymis, nec in reliquis Terræ Sanctæ Provinciis;* adhùc tamen apparet vel Urbem, vel Templum Hieroſolymitanum, reliquis Terræ Urbibus comparatum ea comparatione, qua Templum ipſum, ut caput Terræ univerſæ, nec fortè ipſa Hieroſolymitana Urbe excepta, utì Provinciæ confertur. Et certè ex eo probabile fit Hieroſolymam à Sanctuario diſtingui, Provinciæque adſcribi, quòd bina XXIII. viralia Synedria Urbis eſſent, quæ licèt intèr cætera Terræ eminerent, Synedrio tamen LXXI. virali minora eſſent; etenìm buccinarum clangor in uno potiùs, quàm in altero Terræ loco fiebat ob Synedrii magni prærogativam, ut apparet ex Miſna; nam *poſtquàm Domus Sanctuarii exciſa eſt, conſtituit Rabban Joachan Ben-Zecai, ut clangerent quolibet in loco, modò in eo eſſet Synedrium,* ideſt Synedrium magnum, ut explicat Seldenus laudatus, loco citato, quandòquidem migravit exciſo Templo ad diverſa loca, qua de re vide eundem Seldenum

num lib.2. Intèr ea enim, quæ privativè ad minora Synedria etiam Hierosolymitana, Juris Synedrii Magni erant ubicunquè in Terra consisteret, erat Neomeniarum indictio, & sanctificatio. Porrò aliundè etiam specialis Synedrii Magni suprà Terræ Synedria, tamquàm suprà Provinciam, excellentia constat. Etenìm exempli causa, privativè ad omnia alia Synedria à solo Synedrio Magno judicabatur *Apostasia Urbis*; & illud Jus nonnisì ad Urbes Judaicas extendebatur, imò in ipsa Terra eximebantur Civitates limitaneæ, seù in confinio Terræ ipsius, ut in Misna ad tit. Baba Kama cap.7. Ità & Tribus totius judicium ad Synedrium magnum spectans, extrà Terram locum habere nequibat. In his autem præcipuum illud est, quod spectat ad ordinem, quo ex inferioribus ad superiora, ac tandèm ad Synedrium majus, causas difficiliores delatas tradunt Magistri; de ea siquidèm re cùm agunt, de Synedriis tantùm intrà Terræ Fines constitutis, minimè verò de Provinciarum Synedriis tractare manifestum est. Locus Gemaræ Hierosolymitanæ afferre placet, ex quo quænam Rabbinorum in hac materia sententia fuerit, facilè

elici

elici poteſt. Ibi igitur ad tit. Sanhedrim cap.8. hæc habentur. *Synedria vigintitriumviralia Sedes habuere in qualibet Urbe Terræ Iſraëliticæ. Si quiſquam ex eis* (ex Judæis videlicèt) *difficilioris Juris aviti quæſtione implicaretur, conſulendum erat Synedrium Urbis ſuæ. Hoc ſi traditione rem acceperat ſententiam ei pronuntiabat; ſin verò tùm ipſe, tùm Princeps eorum de eadem re conſulebant Synedrium, quod Urbi ſuæ vicinius erat. Id ſi traditione rem acceperat ſententiam eis pronuntiabat; ſin verò, tùm is, & eorum Princeps eodem modo adibant Synedrium ad Montem poſitum. Quòd ſi traditione rem acceperat, ſententiam eis pronuntiabat; ſin verò, adibant itidèm tùm ipſe, tùm Princeps etiam eorum Synedrium ad antemurale. Id autem Synedrium, ſi traditione rem acceperat, ſententiam pronuntiabat; ſin verò, tàm hi, quàm illi conjunctìm introibant Synedrium Magnum* בלשכת הגזית, *quoniàm illinc Lex egreditur, & transfunditur in univerſum Iſraël, &c.* Ità & Gemara Babyl. ad eundem tit. cap. 10. idem in Ayn Iſraël tom. 2. idem etiam in Miſna, & apud Magiſtrorum Commentaria, ſi demas ad viciniorem in Provincia, Terra videlicèt Juris Iſraëlitici, recurſum;

quod

quod quidèm cohærentius videtur traditis lib.2. Paralip. cap.19. & Josepho Antiqu. lib. 9. cap. 1. Specialiori etiam hujusmodì juri Synedrii Magni intrà Terram, seù ejus nobiliori loco adstruendo faciunt, quæ Magistri servata tradunt cùm licuit in translatione Sapientum à minoribus intrà Terram Synedriis ad majus in Templo residens, mediis Synedriis duobus ad Montem, & ad Antemurale, de quibus allegata à Seldeno de Synedr. lib.2. cap.6. n.3.

XX. Et Synedria quidèm in singulis Provinciis constituta, si quid difficiliùs incidisset, absque medio ad Synedrium majus retulisse, ut sua auctoritate decerneret, verosimillimum videtur, cùm pleraque longiùs à Terra, & à Templo ægrè possent dimetiri quodnam in Terra viciniùs Synedrium esset, & cùm Synedris ipsa constituentibus difficillimum, nimisquè grave esset totiès longo itinere dimenso Hierosolymam pergere, reor id peractum vel Epistolis, vel instituta eam in rem Legatione. Accedit quòd Synedrium magnum Hierosolymitanum, ex recentioribus placitis, Judæos extrà Terram degentes, si abeundi causa non fuerat vis potentior, utì Captivitas, Fa-

mes, &c. quodammodò ut Terræ contemptores despiciebat, quarè hi sui in Judiciis juris paulatìm evaserant, qui libentèr non audiebantur, licèt & dydragma solverent, & ad solennia venirent, ubì in suis Synagogis seorsìm orabant, ex quibus in Actis recensentur Cyrenenses, Libertini, & quidam à Cilicia, & Asia. Quidquid tamèn de rebus hujusmodì sit, illud constare puto, quòd cùm in quolibet Tractu extrà Terram unum tantùm Synedrium constituere solerent Judæi, illud toti Tractui, sivè Provinciæ Jus dicebat, in qua nullum aliud, XXIII. virale, & triumviralia legitima si in Provincia eadem sedebant, Judices singulares, Sapientes, ordinativè quomodolibet sivè intrà, sivè extrà Terram, absoluta circumscriptave ordinatione in eadem Provincia degentes, Synedrium illud Provinciæ ejusdem XXIII. unicum tanquàm majorum causarum Tribunal legitimum agnovisse. Ità puto neminem inficiari posse, capitalia tractus totius ad solum XXIII. virale spectasse, criminalia non capitalia ad Triumviralia legitima si in eodem tractu essent, reliqua, sivè Civilia, sivè Legalia sacra ad cæteros Judices, vel quomodòlibet initiatos, eo ordine

dine tamèn, ut cuncta difficillioris indaginis ad Provinciæ Synedrium unicum deducerentur. At nec fortassis triumviralia, quamvìs legitima, & ex legitimè ordinatis Viris constantia, locum habuere in Provincia ubì unicum illud XXIII. virale totius Provinciæ Judæis præsidebat, seù si quæ habebantur, non erant, pro Rabbinorum sensu, ex Legis præscripto, seù præcepto constituta, licèt pro libito constitui possent. Id ex Gemaræ loco suprà allato constat, ubì præceptum esse dici videtur, quòd sicùt in qualibet Terræ Urbe, sic extrà Terram in qualibet Provincia Synedrium constitueretur; *constituet in Provincia, seù Tractu quolibet;* nec puto diversam esse Maimonidis mentem tit. Sanhedrim cap. 1. proùt ex manuscriptis legit Seldenus l. 2. cap. 5. *obligamur nos constituere Domus judicii* פלך ופלך ובכל עיר ועיר *in qualibet Provincia, & qualibet Urbe. Sed boc ex obligatione præstandum tantùm est in Terra Israelitica juxtà, id quod dicitur, constitues in Portis tuis, quas tibi dederit Dominus Deus tuus, baud verò extrà Terram* [פלך interpretatur Glossa ad Gem. per הפרכיא ex Græco ἐπαρχία, ut Seldenus ipse testatur, licèt hic vertat, *pagus*] Maimonides itàque

 negat

negat præceptum pro locis incolatus Judaici, quod præceptum erat pro locis Juris Judaici, videlicèt quòd Synedria constituerentur non modò in qualibet Eparchia, sivè Provincia, sed & in qualibet Urbe; at minimè negat præceptum esse, ut in qualibet Provincia extrà Terram Synedrium constitueretur, quod præceptum Gemara allegata tradit; quarè conficitur potuisse quidèm plura in eadem Provincia Judaici incolatus Synedria haberi, at id minimè præceptum, præceptum tamen, ut in qualibet Eparchia unum Synedrium haberetur. Et hoc quidem ex Magistrorum mente.

XXI. Porrò observari meretur, quod licèt spectata Synedriorum hujusmodi auctoritate, forma extrinseci Regiminis, stante maximè Templo, aristocratica visa sit, nihilominùs in ipsa Aristocratia, & Monarchiæ caracter emicuit. Credat qui velit Rabbinorum assertis Principem Synedrii Magni mirum in modum extollentibus, quem intèr LXXI. præcipuum innuunt, qui Mosis locum teneret, & oralium traditionum participem, quemque proindè paraphrasis Chaldaica ad Cantic. Cantic. cap. 7. 2. umbilicum dicit, undè Respublica omnis

nis, ſicut fœtus in Utero Matris, enutritur, ac ſeptuaginta Sapientum tanquàm area rotunda, circumſeptum narrat. Illud potiùs mihi probatur, quod Hugoni Grotio in Matth. cap.5. 22. 9. cùm aliàs videlicèt de Dei judicio non conſtitit, *recurrendum omninò fuiſſe ad Senatum, in quo fermè eminebat Pontifex maximus*. Ità (quod ad Apoſtolica tempora pertinet) Ananus Pontifex ex Joſepho lib.20. cap.8. Jacobum Juſtum Hieroſolymorum Epiſcopum Synedrio in ſuam ſententiam coacto, intentatoque blaſphemiæ crimine, occidendum juſſit, nec interceſſit Synedrii Princeps, quem ea tempeſtate fuiſſe, vel Joachanem Ben-Zachai, vel Gamalielem credit Seldenus de Syn. lib.2. cap.16., qui dùm Ananum dicit Principis ſedem invaſiſſe, & ſinè teſte fidem non meretur, & ſibi paulò poſt contradicit aſſerenti, per ea tempora Syriæ Præſides tanquàm Synedrii magni Principes ſe geſſiſſe. Sicuti autem in Synedrio LXXI. virali Pontificis maximi auctoritas eminebat; ſic & in Provinciarum Synedrio Monarchicum caracterem emicuiſſe in Principibus eorundem arbitror, quos pro temporum, & rerum vicibus ſub diverſis nominibus idem

 decus

decus fovisse credo. Extat in Codice Theodosiano lib. 16. tit. 8. de Jud. Cœl. & Samaritanis Lex postrema, quæ sic habet; *Judæorum Primates, qui in utriusque Palæstinæ Synedriis nominantur, vel in aliis Provinciis degunt, quæcumque post excessum Patriarcharum pensionis nomine suscepere, cogantur exsolvere*. Theodosii, & Valentiniani ea est Florentio, & Dionys. Coss. anno videlicèt 429. Doctissimus Gothofredus ad eam Legem hæc habet; *ex hac Lege admodùm singulari colligo, quòd & posteà quoquè notasse deprehendi Petitum 2. var. 10. pag. 158. 159. Blondellum de Primatu pag. 532. Patriarchas Judæorum nullos ampliùs hac tempestate fuisse, electosque deindè Primates*. Ea in re Patriarchas quidèm video ex hac Lege circà quarti seculi initia desiisse, at nullus ex eadem agnosco tùnc primùm Primates Synedriorum eligi cæpisse; nec certè ullum in Lege verbum comperio, ex quo id evinci possit. Illud tantùm conficitur, Patriarchæ dignitate sublata, Primates Synedriorum tùm in duabus Palæstinis, tùm in aliis Provinciis existentium, Avri Coronarii exigendi Jus sibi arrogasse, & cùm desierunt Judæi sub uno Patriarcha regi, Synedriorum

rum Primates ſingulos, Juris Patriarchici partem uſurpaſſe. Primates autèm hujuſmodì minimè diverſos agnoſco à Didaſcalis, quibus Majoribus, ideſt Senioribus, ſeù Synedris præpoſitis, inſcribitur Lex 23. ejuſdem tituli, ea ratione, quòd per eam Legem ipſiuſmet ferè ſpeciei facultas conceditur, ac Primatibus ſervetur l. 8. quæque cùm quodammodò criminalia attingat, ad Synedriorum Jus pertinuit. Etenìm l.8. cautum, ne Judicum Chriſtianorum auctoritate, *reclamantibus Primatibus*, Judæi apoſynagogi in ſectam reciperentur; & l.23. conceſſum, ut confugientes ad Chriſtianam Religionem Judæi ſimulata profeſſione *proptèr evitationem criminum, & prò diverſis neceſſitatibus* ad Judaicam ſectam revocari queant. Quæ quidèm judicialem quamdam auctoritatem Synedrii propriam importare videntur. Et Didaſcali quidèm nomen idem Græcis ſonare, quod Judæis Rabban, quo, ſicutì Principes Synedrii Magni, vocatos ſcimus, ſic nullus dubito Synedriorum Provincialium Principes itèm decoratos. Primates itàque, & Didaſcali iidem fuere, qui Rabbani, ſeù Synedriorum Principes Judæis dicebantur, quique ex veteri diſciplina præeminebant

in Provinciarum Synedriis. De horum autem Primatuum jure, censuisse Patriarchas docemur eadem l.8. ubì dicuntur *Virorum clarissimorum, & illustrium Patriarcharum arbitrio.... habere suam de Religione sententiam*. Sivè enim Patriarchas intelligamus singulis Provinciis præsedisse, quod vult Petitus 2. var. 10. dummodò hos à Primatibus distinguamus, sivè Patriarcham unicum totius Judaicæ sectæ Præsidem hìc agnoscamus, qui veteris Pontificis Maximi loco erat, distinguendum à minutis Patriarchis illis, sivè Pisinis Archisynagogis minoribus, constabit utiquè Primates Synedriorum Provincialium, Patriarcharum nutu, & arbitrio institutos. Cùm autem id ex veteri disciplina manasse credendum omnia suadeant, reliquum est, ut (quod aliundè obscurum) ex recentiori disciplina dignoscamus, Synedriorum potestatem, & Rabbanorum in illis, seù Principum institutionem, & Jura ex Pontificis maximi, Apostolorum ævo dùm Templum stetit, & Patriarchæ post Templi excidium, ordinatione dependisse. De Archisynagogis porrò, & Pisinis Presbyterisque illud monuisse sufficiat, hos, cæterosque hujusmodi à Synedris distinguen-

guendos, ſicuti Synagogæ à Synedriis diſtinguebantur; quarè licèt unum in qualibet Provincia Synedrium erat, plures tamen in eadem Provincia Archiſynagogi, ſicut plures Synagogæ, Proſeuchæque fuere. Illud tandem advertendum uſquè ad Honorii, ac Theodoſii Auguſtorum tempora, Judæis forenſia judicia retenta, quibus non modò intèr Judæum, & Judæum, ſed & intèr Judæum, & Chriſtianum de civili negotio cognoſcebant. Idque certè obtinuiſſe in Patriarchæ foro oſtendit l. 22. Codicis Theodoſiani eod. tit. & auſum in Synedriis, innuere videtur Tribonianus in alterius Cod. l. ſi qua 15. de Judæis; ac Samuel Petitus lib. 2. var. Lect. c. 10. ex l. 5. Cod. Juſt. ſenſit, ubi intèr ipſos Judæos eſſet contentio à Judæorum Primatibus eam dirimi potuiſſe, quamvis hæc Eruditiſſimo Gothofredo minimè placeant.

XXII. Præter Synedria Provincialia extrà Terram conſtituta, in quibus Rabban, ſeù Princeps, qui ſubſecutis temporibus, & Didaſcalus, & Primas dictus eſt, eminebat, aliud eximium munus in quibuſdam Provinciis incolatus Judaici emicuiſſe, in quo illuſtrius Monarchicus character radiabat,

certis

certis documentis ad Apoſtolorum ætatem pertinentibus, erudimur. Celebre munus ejus fuit, qui Alexandriæ, & Ægypti Judæis præerat, ac Ethnarchæ titulo decorabatur. Eundem Alabarcham vocitatum clamant ſcribentes de rebus Eccleſiaſticis, Ægyptiacis. At qui literas humaniores, ut vocant, colunt aliud intelligunt ad illud Satyrici Sat. 1. verſ. 130.

——————— *inter quos auſus habere*
Neſcio quis titulos Ægyptius, atque Alabarchas.

Et ipſe hujus Diſſert. cap. 1. nu. 14. Cujacii, & Pulmanni, aliorumque ſententiam ſecutus Alabarcham, Scripturarium Vectigaliorum intellexi ab ἄλαβα, quod Heſichio eſt atramentum, quo ſcribimus; μέλαν ᾧ γράφομεν. Sunt tamen, qui Arabarcham legunt, quasi Criſpinum quendam ſugillet Juvenalis Arabum vernarum ex Canopo venientium, eundem caput, ac principem vocans. At Alabarcham ſcribendum eſſe Græci Scriptores probant Joſephus, & Euſebius, qui conſtantèr ἀλαβάρχην, & munus ipſum ἀλαβαρχείαν ſcribunt. Videatur Cujacius Obſervat. lib. 8. cap. 37. De munere hujuſmodi, quale videlicèt fuerit, ſcribunt Turneb. l. 27.

cap.

cap. 25. Brod. 4. Miscell. 2. aliique plures. Porrò Alabarchiæ officium, Publicani munus fuisse vectigali exigendo præfecti, quod super animalium transductione impositum fuerat per Ægyptum, & Augustamnicam Valentiniani, Gratiani, & Theodosii ævo, elicit ex eorundem Lege sibi laudata Alciatus Taciti Hist. lib. 1. illustrans, qui tamèn Arabarcham legit. Ipse omnibus perpensis crediderim Alabarchiam Ægyptiacam nullo modo confundendam cum Ethnarchæ Judæorum Alexandrini munere; Alabarcha enim Publicani nomen fuit, & quidèm infimi ordinis in Romanorum politia, quod habere Romani Equites nollent, quamvìs aliàs Publicani in Provinciis Equites essent, nec ob id despectui haberentur. Alabarchæ autèm munus assumitur deridendi causa altioris ordinis hominem, utì agit Juvenalis, qui vel Præfectum Augustalem Tiberium Alexandrum, de quo Tacitus loco laudato, & Ann. lib. 15. vel Josephum ipsum statua à Vespesiano decoratum, ut voluisse D. Hieronymum tradit Alciatus. Verùm Tiberius Alexander Præfectus Ægypti ritè distinguendus est à Tiberio Alexandro ejus Patre Judæo, & Alabar-

barcha prædivite, Philonis fratre, à quorum Religione ad Gentiles transfugiens secesserat, uti Josephus tradit Antiq. lib.20. cap.3. ac ob id clarissimis Equitum Romanorum muneribus exercendis aptus evaserat. Eruditissimus Valesius ad Hist. Euseb. lib.2. cap. 5. locum Philonis ex Libello in Flaccum refert, & ex eo apparere ait *Alabarcham nihil aliud fuisse, quàm* Ἐθνάρχην, *seu* γενάρχην *Judæorum, qui Alexandriæ, & per totam Ægyptum degebant.* At licèt ex Philone appareat Ethnarcham, Genarcham vocari; nullis tamèn machinis obtinebitur, ut Philonis verba ostendant Judæorum Ethnarcham, Alabarchæ nomine nuncupatum. Locus autem Philonis est, qui sequitur; τῆς γὰρ ἡμετέρας γερουσίας, ἣν ὁ σωτὴρ, καὶ εὐεργέτης Σεβαστὸς ἐπιμελησομένην τῶν ἰουδαϊκῶν εἵλετο, μετὰ τὴν τοῦ γενάρχου τελευτὴν διὰ τῶν πρὸς Μάγνον Μάξιμον ἐντολῶν, μέλλοντα πάλιν ἀπ' Αἰγύπτου, καὶ τῆς χώρας ἐπιτροπεύειν; qui verti sic posse autumo; *nàm ex nostro Senatu, quem servator, & beneficus Augustus constituit, ut rebus Judaicis præesset, post mortem Genarchæ, per literas Magno Maximo Ægypti Præsidi designato datas, &c.* Ut autèm à nominibus ad res ipsas transeamus, ex hoc Philonis textu, Judæi Alexandriæ, quo loco apud Augustum

guſtum fuerint, videre, eſt quibus conceſſum ſit Senatum habere, quod non niſi Severo indulgente Alexandrinis datum, qui cùm anteà *ſinè conſilio fuiſſent*, *jus buleutarum*, ut ſuprà ex Spartiano adnotatum eſt, obtinuere. Sed nec Jus Civitatis Ægyptios habuiſſe, cùm Judæi Alexandrini haberent, Appioni opponit Joſeph lib. 2. *Ægyptiis nequè Regum quiſquam videtur jus Civitatis fuiſſe largitus, nequè nunc quilibet Imperatorum; nos autem Alexander quidèm introduxit, Reges autem auxere, Romani verò ſemper cuſtodire dignati ſunt.* Illud autem Civitatis Alexandrinæ Jus Judæis conceſſum Cæſar Dictator inſcriptione æreæ columnæ teſtatum voluit, ut Joſeph ipſe memorat Antiqu. lib. 14. cap. 17. Obſervari autèm operæ pretium eſt Senatum, quod γερυσίαν vocat Philo, Synedrium ipſum toti Ægypto præfectum fuiſſe, at ampliori numero, quàm cæterarum Provinciarum Synedria XXIII. viralia; etenìm narratur ex eo ὀκτὼ, ϗ τριάκοντα Synedros Flacco jubente comprehenſos, traductoſque per medium Forum loris, ligatos, & in Theatro convitiis expoſitos. Ejus rei originem uſquè ab Oniæ Pontificis ejuſdem nominis filii ævo deducere auſim, qui ex

malè

malè perceptoEſaiæ loco à Ptolomeo Philometore, & Cleopatra impetravit, ut ſibi liceret Templum adinſtar Hieroſolymitani ædificare, *fretus* maximè inquit Joſephus Antiqu. lib13.cap.6. *Prophetæ Eſajæ vaticinio, qui antè D C. ampliùs annos prænuntiarat fore omninò, ut Templum aliquandò Deo Maximo ædificaretur in Ægypto, idque hominis Judæi opera*; Quidni enim voluerit, & in ipſo Templo Synedrii LXXI. viralis majeſtatem collocare? Conſtituiſſe enim Auguſtus dicitur, non quòd tùnc in Ægypto cæperit eſſe Synedrium, ſed quià tunc primùm illo annuente, cooptatiſque, qui legitimè per Synedrium magnum in Hieroſolymitano Templo conſiſtens ordinati fuerant, translatum ſit ex Hieroſolymitana Præfectura ad Alexandrinam Urbem, vel quòd Synedrium legitimum Alexandriæ conſtitutum cæperit, Auguſto ratum id habente, liberiùs ſuo jure uti, adjectis XXIII. honoris cauſa, qui fortaſſis ex Ethnarchæ præmortui ordinatione in Ægypto aderant. Porrò quonam Jure in Ægypto Synedrium conſiſteret ex Strabone Gentili Scriptore à Joſepho relato Antiqu. lib.14.cap.12. intelligere eſt; cujus ſunt ea, *per Ægyptum ſanè*

etiam

etiam Coloniæ sunt ejus Gentis absquè eo quòd Alexandrinæ Urbis magna pars eis assignata est. Habet etiam proprium Magistratum, qui suæ Gentis res administret, & controversias ex Jure dirimat, & contractus, atque pacta rata habeat, non alitèr, quàm fit in absoluta Republica. Quæ quidèm ad Augusti tempora referenda esse nemo in dubium vertet.

XXIII. At Ethnarcharum Jura eadem arbitror fuisse, quæ Æchmalotarcharum, seù eorum, qui in Rabbinorum scriptis plurimis celebrantur, & Babylone Captivitatis tempore esse cùm cæpissent, diutiùs perseveraverunt. Qui eo jure cæteris præerat ראש גלותא Princeps captivitatis dicebatur, & id nominis retentum etiam, cùm non ut captivi, sed ut liberi, Judæi inter Parthos degere voluerunt. Itàque ob id ab initio, Captivitatis Principem institutum reor, quòd cùm nullum Hierosolymis Synedrium extaret, undè omnis potestas fluebat, ut cùm judicia permitterentur, breviori via posset Legis indemnitati prospici, Uni ad id electo id potestatis traderetur. Restituto autem Synedrio Hierosolymitano in suum locum, licèt omnis apud illud auctoritas velùt postliminio rediisset, relictum tamen Æchmalotarchæ Babylonico facultas, cujus

jus ad ejus exemplum Ethnarchæ postmodùm Alexandriæ, alibìque fortasse degentes, participes fuere, qua ab ipsis ordinati ubìque judicia exercere possent, qui verò à Synedrio magno in Æchmalotarchæ, seù Ethnarchæ ditione nonnisi eisdem Principibus permittentibus, potestatem traditam exercerent. Hæc ex Maimonide elici posse arbitror Hilc. Sanhedrim cap. 4. §. 14. ubì hæc habentur. *Judex omnis Judiciis non impar, cui dederit Princeps Captivitatis facultatem judicandi, facultatem habebat judicandi, in omni Mundo, etiàm si Litigantes fuerint inviti, adeòque tùm intrà Terram, tùm extrà, licèt non uti judiciis criminalibus; & omnis Judex Judiciis non impar, cui dederit Synedrium intrà Terram facultatem judiciariam, habebat ille judicandi facultatem in omni Terra Israëlitica, & in Civitatibus limitaneis, etiam invitis litigantibus, at verò extrà Terram facultas ejusmodì ei concessa haud tanta erat ut indè posset litigantes ibì coërcere; Et licèt haberet facultatem qualemcumque judicandi criminalia extrà Terram, nihilominùs ibì judicia ejusmodì exercere in invitos nequibat. Nàm litigantes in Jus deductos coërcendi, & sic in eos judicandi facultatem non habuit, usquè dùm*
eam

eam impetraverat à Principe Captivitatis. Locum hunc urget Cunæus lib. p. cap. 9. de Rep. Hebr. & rectissimè, contrà Maimonidem ipsum, qui popularia suorum placita secutus asserere non dubitavit, excisis Hierosolymis ad solos Babylonios Judæos, & Sceptrum Judæ, & Ducem femoris ejus translatum, quarè hæc nullus dubito quin dicta sint de Principe Babylonicæ Captivitatis, nec videtur prætereà ex ejus mente ad Ægyptiacum Ethnarcham referri posse; etenim eodem tract. cap. 5. nullo modo, nequè quidèm ob majorem vim illatam (quod cæteros Judæorum extrà Terram incolentes à culpa liberabat) in Ægypto Judæos habitare potuisse ait; quarè omnibus ritè perpensis agnosco ex Rabbinorum sensu, solos Babylonis incolas, ac eorum Æchmalotarcham, licèt extrà Terram degentes, cùm ejus rei ab initio Captivitas universorum in causa fuisset, tamquàm unus populus, cum intrà Terræ fines degentibus reputatos. Omnium autèm qui alibì degebant Alexandrini, ac Ægyptii graviùs peccasse crediti, quòd non solùm sinè majoris vis impellentis necessitate, quod & aliis culpæ imputabatur, sed ob id, quòd in regionem

illam migrassent, ubì (quæ Maimonidis ratio) *facta Gentis, deteriora, quàm aliorum Gentium erant*. Hinc quod Ordinatis ab Æchmalotarcha intrà Terram ex Jure competisse traditur, minimè concessum consequitur Ordinatis per Ethnarcham Alexandrinum, qui proindè intrà Ethnarchiæ fines tantùm eo jure gavisi fuerint. Ulteriùs qui ordinati fuerant à Synedrio Hierosolymitano dubitari nequit quin, & in Ægypto admissi sint; at credo ab Ethnarcha impetratam exercendæ potestatis suæ facultatem. Scio in Rabbinorum scriptis Æchmalotarchas eo loco poni, ut excellentiori dignitate ferè fulsisse dicantur, ac ipsi Terræ Principes. Sic illi laudantur, utì ex Davide paterno genere descendentes, hi verò veluti è materno, qua de re vide Scaligerum ad Euseb. Chron. ubì vetus proverbium affert ראש גלות שבבל עדיף מנשיא דארץ *Princeps Captivitatis in Babylonia exellentior præ Principibus Terræ*. At hæc recentiorum commenta sunt, ut Sceptrum in Babylone durasse defendant, quandòquidem aliundè Principes Synedrii Magni, ex quibus Hiles, de quo in veteri proverbio apud Scaligerum laudatum, ea dignitate præditi dicun-

cuntur, ut omnis indè etiam Synedrii Sapientia, & majestas fluxerit, ut in superiobus est dictum. At videatur Morinus Esercit. 4. lib. 2. Cæterùm verissimum est, quæ Cunæus ipse tradit lib. 2. cap. 23. Judæorum Rempublicam Ægyptiacam nobilissimam, florentissimamque fuisse, sed & eosdem religiosissimè & Legem, & Templum Hierosolymitanum coluisse, quò singulis Annis ad solennia festa migrabant, & donaria illùc in usum Templi, & Sacrorum offerebant *magna, ac penè immensa*, ut ejusdem Cunæi verbis utar.

XXIV. Nec certè ex Romanorum sententia illustriùs in tota Imperii Romani ditione habitavisse Judæos, ipso de quo agimus tempore, Claudii Imperatoris Edicta ostendunt, primùm enim, ac principaliter ille Ethnarchæ Alexandrini eligendi Jus Alexandrinis Judæis concessit, & cætera, quæ in Edicto leguntur, indè ad instàr eorum cæteris etiam alibì degentibus eadem privilegia concessit. Id ex ipso Edictorum tenore apparet Josepho relatis Antiqu. lib. 19. cap. 4. cujus secundum illa habet; *petentibus à me Agrippa, & Herode Regibus mihi amicissimis, ut permitterem Judæis in Imperio nostro*

ſtro degentibus uti ſuo Jure, quemadmodùm anteà ſicùt & Alexandriam habitantibus conceſſimus, libentèr precibus eorum annuimus.

Pluribus id ipſum adſtruere eſſet facillimùm ex Philone potiſſimùm, & Joſepho; at ea obvia ſunt, & notiſſima. Præſtat unum hìc denuò repetere quod ſuprà hujus cap. n.2. innui; per ea videlicèt tempora Judæorum Babylone degentium res omninò proſtratas, afflictaſque, quæque proindè cum Reipublicæ Judaicæ apùd Alexandriam degentis felicitate haud conferri poſſent. Id notabile quidèm eſt non modò pro argumenti ratione, ſed etiam ad confutandum Rabbinorum commentum, quo, ut ſuprà dictum eſt, aſſerere non verentur remanſiſſe Babylone Judæ Sceptrum, & cùm defecerat Hieroſolymis. At Babylonis nomine Joſepho, Philone, aliiſque eorum temporum, ejuſque ſortis ſcriptoribus, intelligi, non veterem illam celeberrimam Urbem, quæ ea tempeſtate penè deſerta remanebat, neque Seleuciam Macedonum Regno florente ædificatam, & prioris nomen, & celebritatem aſſecutam, ſed regionis circumpoſitæ Tractum, inter Tygrim, & Euphratem, obſervare eſt. Eo ſenſu Artabanus Parthò-

rum

rum Rex Asinæo, quem Provinciæ totius Satrapam, sivè Ethnarcham constituit, Josepho tradente ait; *commendò autem tibi Terram Babyloniam, &c.* & de Asinæo dicitur quòd *nec contentus honoribus Babylonicorum à Parthorum quoquè observabatur Ducibus, qui in vicinas Provincias mittebantur cum imperio.* Sic Neerda, quæ *Urbs Babyloniæ* dicitur eidem, & Nisibis frequentissimis Judæis habitabantur, undè post Anilæi cædem acti Babyloniorum odio, migrarunt Seleucia, deindè cùm Syrorum, & Græcorum insidiis petiti, quinquaginta millia virorum internecione peremptorum amisissent, qui reliqui fuere primùm Ctesiphontem, indè rursùs Neerdam, & Nisibim repetiere. Hæc acta post Alexandrinis Judæis, Cajo imperante, illatas ærumnas, & post scriptum Philonis Librum de Legatione ad Cajum elicitur ex eodem Philone, qui & Babylonis nomine non Urbem, sed Provinciam intelligit, ubi Agrippam Regem Cajo supplicem Libellum pro suorum indemnitate scribentem refert; *excepta enim parva parte Babylonis, & aliarum Præfecturarum, omnes Urbes, quæ bonum agrum habent, à Judæis incoluntur.* Videant itàque an non ni-

miùm suis cogitatis indulserint doctissimi Viri, qui à veterum Patrum sensu discedentes, voluere Babylonis nomine non Romam, sed Parthicam Urbem intelligi, ubì Petrus Epistolam suam scripserit, & ubì principem sedem per ea tempora Judæos habuisse comminiscuntur. Planè quæ ex certis documentis observata sunt efficiunt Petro principes Ecclesias fundante nullibì illustriùs, feliciùsque habitasse Judæos, quàm Alexandriæ, & Æchmalotarcharum Parthicorum, sivè Babyloniorum majestate, penè deleta, Ethnarchæ Alexandrini Jus, Claudio imperante, restitutum.

XXV. Porrò quamvìs, & ubiquè alibì in Romani Imperii ditione, & Provinciis ad instàr Alexandrini possent ex Claudii Edicto alios sibi Ethnarchas constituere Judæi, & fortè constitutos, credere par sit, nullibì tamèn id factum clariùs agnoscimus, quàm ex Josepho, Antiochiæ. Is Ethnarcham Antiochenum disertè laudat de Bello lib.7. cap.21. ubì narrantur, quas ipso jàm Judaico Bello gliscente, Antiocheni Judæi passi sunt, ærumnæ ob unius impietatem, & in suos perfidiam. *Quo tempore*, inquit, *Bellum fuerat conclamatum, & recèns in Syriam Vespa-*

sianus

sianus delatus est navigio; Judaeorum odium apùd omnes pullulabat. Tunc unus eorum Antiochus quidam plurimùm Patris causa honorabilis (erat enim Princeps apùd Antiochiam Judaeorum) cùm Antiochensium Populus concionaretur in Theatro, progressus in medium Patrem suum, & caeteros deferebat, insimulans eos, quòd una nocte totam Civitatem incendere statuissent. Præter hæc nullibì, si Ægyptum excipias, illustriùs degisse Judæos, majoribusque privilegiis gavisos, quàm Antiochiæ, Gentilium odia ipsa ostenderent, cùm cætera, quæ Josephus idem in hanc rem allegat, deessent, quorum quidem hìc referenda sunt, quæ sequuntur. Lib. Antiqu. 12. cap. 3. narrat Seleucum Nicanorem Judæis, tùm in aliis Asiæ Civitatibus à se conditis, tùm maximè Antiochiæ habitantibus Jus Civitatis dedisse. Intèr cæterà autèm Privilegia antiquitùs collata illud fuisse, quo fruebantur, & cùm scriberet Josephus, quòd videlicèt *Judæis externo oleo uti nolentibus, certa pecunia pro eo à Gymnasiarchis pendebatur. Id moris,* ait idem, *cùm Antiochensis Populus proximo bello abrogare vellet, non permisit Mutianus, qui tùm Syriæ provinciæ praeerat; deindè imperante Vespasiano, & Tito*

ejus Filio, Alexandrini, & Antiochenses rogantes adimi Judæis Jus Civium, impetrare id non potuerunt. De Bello autem lib.7.cap. 24. Antiochensium conatus explicat, quibus Titum, & post excisam Hierosolymam adventantem, & mox discessurum in Theatro urserunt; primùm quidèm, ut Judæos Antiochia expellendos concederet, deindè cùm id negaretur, ut saltèm æneas tabulas eximi juberet, quibus incisa erant privilegia Judæis concessa. *Sed ne id quidem*, inquit, *Titus annuit, verùm in eodem statu relictis omnibus, quæ habebant apud Antiochiam Judæi, ad Ægyptum indè discessit*. Eximio itàque loco Judæos Antiochiæ fuisse consequitur, præclaraque eorundem privilegia fuisse, ob quæ adeò Antiochenorum animi urebantur; & hæc omnia in eodem statu perseverasse usquè ad postremam cladem Genti Hadriano imperante illatam.

XXVI. Quod spectat ad Judæorum Privilegia alibì per Imperii Romani Provincias degentium, quamvìs nullus dubitem ibì illustriùs habitasse ubì frequentiores, certiora tamèn ejus rei argumenta non suppetunt. Illud ea in re adnotari meretur, quamvìs multorum sententia sit, Asiæ, & contermi-

næ

næ Evropæ, ac Insularum adiacentium Judæos incolas ex Ægypto potissimùm migrasse, si Cyprum, & nonnullas ejus Maris Insulis excipias, id omninò verum non esse; etenìm, cùm Syriæ Reges latè dominabantur, potissimùm ex Palestina, ac Judæa, nec non ex Babylone, & Mesopotamia in Asiam translati sunt. Intèr hujusmodì Coloniarum Judaicarum migrationes laudari meretur illa, quæ Antiocho Magno jubente facta est, de qua Josephus Antiqu. lib. 12. cap. 3. ubì ejus Regis Literæ in eam rem Zeuxidi Satrapæ, & Exercitus Duci datæ referuntur, quibus cùm quosdam in Phrygia, Lidiaquæ res novas moliri audisset, imperat ex Judæis, qui Babyloniam, & Mesopotamiam incolebant, duo millia Familiarum cum tota suppellectili eò traducenda, locis opportunis per præsidia disponenda, data *libertate vivendi propriis Legibus*, & immunitate in decennium, aliisque concessis. Antiochiæ proindè, Asiæque Judæos, quippè ex fratrum suorum Babylone degentium, prognatos, propagatosque, & ob id Captivitatis privilegiis participes ab origine, apud Judæos Terræ incolas fratrum loco habitos arbitror; secùs ac Ægyptii, Alexan-

xan-

xandrinique, & quidam Ciliciæ, Asiæque litoralis conterminæ, quos Judæi Terræ suæ contemptores in sibi invisam regionem migrasse crebebant, vel indè aliò. Ejus rei præclarum argumentum exhibent Literæ à Dolabella Hircano Pontifice rogante scriptæ Ephesiorum Magistratibus, ob quam rem obtinendam Hircanus ipse Alexandrum Theodori filium Legatum miserat, quibus Asiæ Judæi à militia immunes fiunt, patriis Legibus uti, & sacrum Dydragma mittere permittuntur. Fratrum itàque loco non transfugarum habiti Asiæ plerique Judæi, ob quorum incolumitatem totius Gentis Pontifex, ac Ethnarcha apud Romanos legatione, & precibus egit. Illos verò Judæorum Babylone degentium juribus gavisos pro temporum, & locorum ratione admodùm verisimile est, collatis, quæ in superioribus sunt allegata, licèt clariora hujus rei argumenta non habeamus.



Ca-

Caput Tertium.

Ordo propagatæ per Baptiſmum gratiæ, & tempus fundatarum principûm Eccleſiarum collatum cum Superioribus jam diſcuſſis.

I. EX impeditis tandèm locis ad quæſtionis Arcem accedimus. At difficiliora ferè enodata fateatur neceſsè eſt, qui animo à ſtudiis libero pertractata legerit, quandòquidem, cùm nonniſi ex conjecturis lis dirimi, valeat facillimè, quæ repudiandæ, quæque admittendæ ſint in tanta licèt rerum antiquitate, diſcernet, qui ad ea, tanquàm ad veritatis criterium cauſæ momenta expenderit. At nec fortaſſis omnia, quæ explicatis addenda remanent meris conjecturis nituntur, ſed aliqua, & ea maximè, quæ rei propiùs probandæ accedunt, aliquid non conjecturale, & certitudinis nonnihil habent. Verùm de his ad Populum, ad Doctos videlicèt, ſinceroſque rerum Æſtimatores, provoco. Interìm ex præcedentibus ſatìs conſtare puto meæ ſententiæ ſummam eſſe; *Petrum in primis, alioſque etiam Apoſtolos in fundandis principibus Eccleſiis mini-*

mè

mè ad formam Romani Imperii respexisse, sed potiùs Judæorum politiæ se accomodasse, habita ratione eorundem frequentiæ, ac prerogativarum, prò diversitate temporum, locorum, & Gentilium etiam, cùm ad Baptismi gratiam admissi sunt. Porrò quamvìs in hujusmodì argumentis pertractandis solenne sit à facilioribus incipere, & faciliùs existimetur aliena destruere, quàm sua adstruere, alia tamèn mihi incedendum via existimo, & cùm satìs per ea, quæ de Provinciarum Romanarum Statu, tùm, cùm Apostoli Ecclesias fundabant, ostensa sunt, intelligi possit ineptam omninò formam earundem fuisse, cui se Petrus, Apostolique conformaverint; satiùs duco difficiliori parti explicandæ incumbere, adstruereque Systema, quod mihi præ communiori sententia probatur. Id tamèn dùm agam non poterit fieri, quìn suis aptè locis, & opposita refellantur, & dicta indicentur potiùs, quàm recudantur, congrua congruis referendo. Interìm præmittendum hìc est me minimè intendere novam usquequàque sententiam invehere. Novitatis, sivè laudem, sivè invidiam à meis conatibus abesse jubeo. Novi, & quosque nosse aveo, aliis, nec infimi subsellii Scriptoribus

ribus placuisse, primam Ecclesiæ faciem judaizasse quodammodò, & idipsum evenisse, cùm primi Episcopi sunt constituti. At id indicatum potiùs, quàm ex professò explicatum est, & si qui nonnihil expressiùs de argumento scripsere, cùm in multis abierint à veritate (quod in causa fuisse puto cur Catholicorum Doctissimi, aliundè Metropoliticas Ecclesiarum origines derivandas censuerint) locum reliquerunt accuratiùs idem pertractandi, ut veritas, quæ fuliginibus obducta usquè in hanc diem displicuit, cordatis, piisque Viris sincera placere incipiat. At rem ipsam tandèm aggrediamur.

II. Ut suus Disputationi ordo constet, propagatæ fidei Christianæ antiquissima tempora in tres periodos sunt destinguenda. Prima Periodus eorum annorum est, quibus Apostoli solis Judæis verbum annuntiaverunt. Secunda tempus complectitur, quo quamvìs Gentiles admissi fuissent ad Baptismum, in ea tamèn Orbis parte Evangelii gratia est diffusa, ubì frequentes Judæi habitabant. Tertia tandèm ejus est temporis, quo novum gratiæ lumen in illis Provinciis propagatum est, ubì omnes Gentiles, Judæorum verò perpauci degebant. Cùm in

pri-

prima periodo Judæorum tantùm ratio sit habita, & nil de Gentilium conversione curatum; prima omnium Ecclesiarum statìm constituta est Hierosolymitana, ubì, & Apostolorum Collegium, Petro primas gerente, usquedùm admissis Gentilibus res alia methodo sunt ordinatæ, perduravit, tanquàm novum, novæ Reipublicæ Synedrium, in quod vetus Jurisdictio, Regaleque Sacerdotium in meliorem formam Messiæ opè evectum, translatum fuerat. Ità, & in aliis Terræ Urbibus ubi Synedria Judaica habebantur, cùm Credentium numerus auctus est, Ecclesiæ aliæ sunt constitutæ. In secunda autem admissis Gentilibus ad Baptismum, licèt cognitum sit non esse Deum acceptorem personarum, & in Gentes etiam diffundi debere gratiam; primò tamèn, ac principalitèr ea Loca Apostolicis laboribus sunt illustrata, ubì Judæi degebant, & ibì Gentiles admissi, sicutì anteà à Judæis Proselyti admittebantur. Cùm autem extrà Terram Judæis Synedria essent, quæ singulis Tractibus, sivè Provinciis præessent, ità, & Ecclesiæ fundatæ sunt ibìdem, quæ eodem modo eminerent. At cùm nonnullæ Urbes Judæos haberent, & frequentiores,

&il-

& illustriùs suis Legibus utentes, hæ intèr cæteras electæ sunt, quæ quadam singulari honoris prærogativa fulgerent, quasque proindè Petrus sui Juris speciali quodam, divinoque modo participes voluit. In altera Orbis parte, ubì rarus Judæus Incola, nulla prætèr Romanam prima Sedes est constituta, quia Romæ tantùm Judaici regiminis forma habebatur, ubì frequentes Judæi habitabant, quorum etiam primò ratio habita est, quarè quæcumque tertia illa Apostolici ævi periodo fundatæ sunt Ecclesiæ, omnes unam Romanam Sedem Metropolim cognovere, totaque illa Orbis Romani pars, quamvìs alterà longè major, tanquàm una Romanæ Ecclesiæ Provincia reputata est. Ex ejus autem partis accessione ubì plerique, & ferè omnes Gentiles erant, quò, & alii alterius non modò Gentiles, sed & Judæi in unum veluti Corpus coalescerent, necessitas emersit Romæ potiùs, quàm alibì Petri sedem constituendi. Etenìm cùm Christus Lapis ille angularis fecisset utràque unum, duos populos in unam Ecclesiam adunando, Petrus qui Petra etiam, cui inædificandam Ecclesiam Christus prædixerat, sedem omnium principem non

Hie-

Hierosolymis, quæ Judæorum tantùm Metropolis, non Alexandriæ, vel Antiochiæ, ubì præ Gentilibus Judæorum ratio haberi debebat, sed Romæ constitui debuit, tanquàm in unitatis centro, ubì, & Judæi frequentes, & Gentilium omnis superstitio convenerat. Porrò hæc pluribus illustranda, & in bono lumine ponenda cùm sint, à priori Apostolicorum temporum periodo initium capio.

III. Mirum est, quanto consensu Chronologi, & rerum Ecclesiasticarum recentes Scriptores ab antiquissimi Auctoris Apollonii traditione recesserint, qui Eusebio teste, Hist. lib. 5. cap. 18. *ajebat tanquàm ex traditione Servatorem præcepisse suis Apostolis* ἐπὶ δώδεκα ἔτεσι μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ, *ne intrà duodecim annos Hierosolymis excederent*. Plura autem sunt, ex quibus dissensus Auctorum ab Apollonii traditione efficitur. Primò, quòd Christi Domini mortem anno vulgaris æræ 29. quæ veterum Patrum sententia fuit, consignare nolunt, postponuntque quatuor, vel quinque annis. Verùm vetus sententia doctissimis Chronologis rursùs placere cæpit, quos proindè hæc difficultas minimè urget. Secundò, quod Antio-

tiochenæ Ecclesiæ initia communi omnium consensu ponantur antè admissos ad Baptismum Gentiles, & fundata credatur Tiberio adhùc imperante, vel paulò post. Tertiò, quòd intrà duodecimum à Christi Ascensione Annum Petrus, & Johannes narrentur missi ab Hierusalem in Samariam, ut illis, qui ex Circuncisione baptizati fuerant manus imponerent. Quartò quòd Paulus ad Galat. 2. narret se cùm primò Hierosolymam ascendit videre Petrum, aliorum Apostolorum vidisse neminem prætèr Jacobum fratrem Domini. Henschenius in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam Exercit. 3. admittens veterum sententiam de Christo duobus Geminis Coss. crucifixo, remotoque ob id priori obice, Appollonii traditionem admittit; at, ut ab aliis se expediat, Hierosolymorum nomine non modò Judæam, ac Palæstinam, sed Syriam universam intelligit, quò Antiochenæ Ecclesiæ initia citò consignet, anno videlicèt vulgari 33. Sed & annorum duodecim spatium Apollonio traditum, ad undecim annos contrahit, numerans duodecimum, anno currente 40. Vidit hoc C. V. Daniel Papebrochius in Conatu Chronico-histori-

co Differt. 2. de Sedibus Antiochena, & Romana n. 2. qui cùm Christi Ascensionem anno vulgari 34. connectat, nec Henschenio consentiat, Hierusalem nomine Syriam universam intelligenti, Apollonii traditionem admittit, quatenùs, vel Apollonius ipse, vel Eusebius erraverit, qui prò anno secundo, duodecimum scripserit, urgetque argumentum ex Pauli primo Hierosolymam adventu desumptum. Mihi aliàs quàm soleat Apollonii traditio intelligenda videtur, & admittenda, nec enim video, cur majorem fidem mereatur Eusebius, (qui tamèn Apollonii traditionem refert, non refellit) quàm Apollonius priori Apostolorum ætati multò Eusebio proximior. χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλὴμ quod *Hierosolymis excedere, discedere, abire* interpretantur viri docti, mihi est *ab Hierusalem segregari separari, sejungi*; & integram sententiam verto; *ajebat tanquàm ex traditione Servatorem præcepisse suis Apostolis, ne intrà duodecim annos à Hierosolymis segregarentur, separarentur, sejungerentur. Separari* autèm, *Segregari, sejungi* idem esse intelligo, ac alteram Ecclesiam fundare, quæ à Hierosolymitana minimè penderet; quatenùs intrà duodecim

annos,

annos, & Apostolorum Collegium, cui Petrus præerat, tanquàm novæ Legis Synedrium majus Hierosolymis tantùm sederet, totique Judæorum credentium cætui Jus diceret, ac unus Hierusalem Episcopus, cæteris præsideret, si quæ Ecclesiæ intrà Terræ fines, minoraque Synedria, quæ postmodùm Presbyteria vocata sunt, constitui oporteret. Constituere autèm principem alteram Ecclesiam, ubì Apostolorum, quispiam sederet, fieri non poterat, quìn, & alibì Apostolici Collegii Jurisdictio plenissimè exerceretur, & quìn sola desineret esse Hierosolymitana Ecclesia, quæ cæteris præesset, quod *segregari*, *sejungi*, *separarique* à Hierusalem erat, ubì prò Judæorum more Jurisdictionis plenitudo, & apex. Id itàque, Apollonio tradente, fieri Apostolis prohibitum antè duodecim ab Ascensione annos, ac illud ipsum Clementi Alexandrino Stromat. lib.6. significatur, ubì hæc habentur; *si quis ergò velit ex Israel duci pœnitentia, & proptèr nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in Mundum, ne quis dicat non audivimus.* Hoc sensu Apollonii traditione intellecta, & Christi morte duobus Geminis Coss.

co Differt. 2. de Sedibus Antiochena, & Romana n. 2. qui cùm Christi Ascensionem anno vulgari 34. connectat, nec Henschenio consentiat, Hierusalem nomine Syriam universam intelligenti, Apollonii traditionem admittit, quatenùs, vel Apollonius ipse, vel Eusebius erraverit, qui prò anno secundo, duodecimum scripserit, urgetque argumentum ex Pauli primo Hierosolymam adventu desumptum. Mihi aliàs quàm soleat Apollonii traditio intelligenda videtur, & admittenda, nec enim video, cur majorem fidem mereatur Eusebius, (qui tamèn Apollonii traditionem refert, non refellit) quàm Apollonius priori Apostolorum ætati multò Eusebio proximior. χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλὴμ quod *Hierosolymis excedere*, *discedere*, *abire* interpretantur viri docti, mihi est *ab Hierusalem segregari separari*, *sejungi*; & integram sententiam verto; *ajebat tanquàm ex traditione Servatorem præcepisse suis Apostolis*, *ne intrà duodecim annos à Hierosolymis segregarentur*, *separarentur*, *sejungerentur*. *Separari* autèm, *segregari*, *sejungi* idem esse intelligo, ac alteram Ecclesiam fundare, quæ à Hierosolymitana minimè penderet; quatenùs intrà duodecim

annos,

annos, & Apostolorum Collegium, cui Petrus præerat, tanquàm novæ Legis Synedrium majus Hierosolymis tantùm sederet, totique Judæorum credentium cœtui Jus diceret, ac unus Hierusalem Episcopus, cæteris præsideret, si quæ Ecclesiæ intrà Terræ fines, minoraque Synedria, quæ postmodùm Presbyteria vocata sunt, constitui oporteret. Constituere autèm principem alteram Ecclesiam, ubì Apostolorum, quispiam sederet, fieri non poterat, quìn, & alibì Apostolici Collegii Jurisdictio plenissimè exerceretur, & quìn sola desineret esse Hierosolymitana Ecclesia, quæ cæteris præesset, quod *segregari*, *sejungi*, *separarique* à Hierusalem erat, ubì prò Judæorum more Jurisdictionis plenitudo, & apex. Id itàque, Apollonio tradente, fieri Apostolis prohibitum antè duodecim ab Ascensione annos, ac illud ipsum Clementi Alexandrino Stromat. lib.6. significatur, ubi hæc habentur; *si quis ergò velit ex Israel duci pœnitentia, & proptèr nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in Mundum, ne quis dicat non audivimus.* Hoc sensu Apollonii traditione intellecta, & Christi morte duobus Geminis Coss.

consignata, minimè obstat quòd Petrus, & Johannes à Hierosolymis missi sint in Samariam; quìn sententiam confirmat, indè enim missi ubì Apostolici Synedrii Sedes, illùc, peractis, quæ communi Statuto decreta fuerant, rediere; nec quòd Paulus primò Hierosolymam veniens prætèr Petrum, & Jacobum neminem Apostolorum viderit, cùm potuerint Apostoli Hierosolyma abesse, nec tamèn, modo explicato à Hierusalem separari. Prætèrquam quòd Paulus loco allegato ait, se neminem Apostolorum de Christi doctrina allocutum, quam Gentilibus suo tempore disseminandam, à Christo immediatè didicisset, minimè autèm Apostolos absuisse dicit. At ex Apollonii traditione hoc modo intellecta sequitur contrà communem omnium sensum, Antiochenæ Ecclesiæ initia ad duodecimum ab Ascensione annum differenda. Planè sequitur; verùm minimè ob id traditio antiquissima est reicienda, cùm aliundè differendi rationes urgeant hìc adjiciendæ.

IV. Fundatam à Petro Apostolorum Principe Antiochenam Ecclesiam, ubì septem annis Episcopus sederit, communis Ecclesiæ sensus est, ac tùm Veterum (Catalogi

tamèn

tamèn nonnulli in annorum quibus ſedit numero, diſſentiunt) tùm Recentiorum aſſertio; at quo anno primùm fundata ſit, incertum planè, ac controverſum. In eo tamèn conſentire viſi ſunt omnes, ſi Panuinum excipias, de cujus ſententia Baronius ad annum 39. ut Cathedræ Antiochenæ initia antè primum Claudii imperantis annum conſtituerint. Etenìm cùm creditum ſit Petrum Romanam Cathedram viginti quinque annis tenuiſſe, vel poſt Romanæ initia fundatam Antiochenam aſſerendum, quod unus Panuinus dixit, vel ab anno ſecundo Claudii, quo primùm Petrum Romam veniſſe Euſebius tradiderat, retrogrediendum erat, ut ſeptem Antiochenæ Sedis anni invenirentur. At anguſtiæ undiquè in hoc Chronologiæ Syſtemate. Etenìm cùm Petrum, & Paulum Romæ paſſos anno Neronis duodecimo, vulgari videlicèt 65. probent, quæ allegantur ex Epiphanio hær. 26. cap. 6. Tacito lib. 16. Ann. Suetonioque in Nerone 29. collatis cum Pauli Oroſii lib. 7. cap. 5. aliiſque, Heſchenio antè Tom. p. Aprilis, Papebrochio in Conatu, & in Reſponſ. ad Exhib. Err. ad art. 2. §. 1. Sceleſtrat. Antiqu. illuſtr. pag. 30. Pagio in Cri-

 ticis

ticis ad ann. vulg. 67. retrogrediendo per annos 25. invenitur non annus ſecundus Claudii,qui 42. vulg. ſed 40. poſtremusCaji. Nec nisì prima Februarii anni 41. Claudius imperare cæpit, atquè ideò ſi fundatam, ut vetus fert traditio Romanam Cathedram velimus Januario menſe, anno ſaltèm quadrageſimo currente, Romam Petrus venerit neceſsè eſt, ac ideò ſeptem Antiochenæ Sedis anni ipſo anno vulgari 33. incipiunt, quo iidem etiam ipſi Auctores Chriſtum crucifixum vel aſſerunt, vel in ſequentem transferunt; quæ quidèm admitti nequeunt. Rursùs cùm Valeſio ad Euſeb. Hiſtor. lib. 2. cap. 6. & Pagio ſuprà laudato, ſicutì, & Panuino obſervatum ſit ex Actuum Apoſtolorum Hiſtoria, Petrum minimè Syria exceſſiſſe antè Agrippæ mortem, quæ omnium conſenſu accidit anno quarto Claudii, 44. vulgari, poſtquàm Petrum ipſum ille in vincula conjeciſſet; efficitur nonnisì poſt annum eundem Petrum Romam proficiſci potuiſſe. Hìnc tandèm Chronologorum conſenſu ab Euſebio diſſentiri cæptum, ac agnitum, ſeriùs, quàm ille tradiderat, Romanam Cathedram fundatam, & viginti quinque annorum ſpatium Petri

Pon-

Pontificatui tributum, intrà breviores fines redigendum. Antiochenæ itàque Cathedræ initia antiquiora Claudii imperantis initiis statuendi necessitas cessavit, arbitriumque relictum deliberandi, an (quod sanè verosimilius videtur) fundaverit Petrus Ecclesiam illam post admissos ad Christi Baptismum Gentiles. Quod tamèn mirere, Doctissimi Viri, qui Lactantii Libellum de Mortibus Persecutorum sequuntur, & asserunt Petrum nonnisi anno Neronis primo, æræ vulgaris 54. Romam venisse nondùm tamèn de transferendis ad Claudii tempora Antiochenæ Sedis initiis cogitarunt. Mihi certè absquè teste, & rationibus, minimè probatur, Petrum Antiochiæ sedere desiisse, nisi cùm sibi Romam eundum censuit, ut ibì Romanam Cathedram fundaret; quarè admittere nequeo, quòd cùm, exempli gratia, desierit Antiochiæ sedere anno vulgari 45. (quæ sententia omnium seriùs Cathedræ illius initia statuit) usquè ad annum Neronis primum æræ vulgaris 54. Romanum iter distulerit, nulla relictæ Antiochenæ Sedis causa probabili allegata. Hìnc consequitur, nec Petri in Urbem adventum ad primum Nero-

nis annum differri posse, nec Antiochenæ Sedis initia antè duodecimum ab Ascensione annum retrahenda. Prioris meæ assertionis forte etiam mihi argumentum exhibet Pauli Epistola ad Romanos, quæ procùl dubio antè Neronem ipso Claudio imperante conscripta est. In ea siquidèm Apostolus florentem jàm Romanam Ecclesiam pluribus ostendit. Ejus cap. 1. sunt illa; *primùm quidèm gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis*; *quià fides vestra annuntiatur in universo Mundo*; & ea capitis postremi; *vestra enìm obedientia in omni loco divulgata est*; quibus plura addere in re perspectissima non vacat. Itàque ad primum Neronis annum Petri adventus Romam differri nequit, aliàs nec Petrus, nec Paulus Ecclesiæ Romanæ Auctores, sed alii. Lactantii ergò verba, vel de primò Petri adventu non loquuntur, vel Paulo contradicunt, ideòque fidem non merentur. Secundum de initio Antiochenæ Sedis Claudii imperantis prioribus annis alligando, ex ipsa Actuum Apostolorum Historia apertè, ut mihi quidèm videtur, constat. Id attentè explicandum.

V. Solenne est Lucæ ejus Canonici libri Au-
ctori,

ctori, Ecclesiæ nomen Urbi, locoque cuipiam minimè tribuere, nisi postquàm plures ibidèm numero satis frequenti Conversi, & Cathedra constituta, quò ritè, verèque Ecclesia fundata dici potest. Id quamvis nulli in hanc diem observatum sciam, ex diligenti tamèn Libri totius lectione, facilè cuique est animadvertere, & operæ pretium adnotasse fuit, quandòquidem indè primarum Ecclesiarum initia aliundè ignota, vel dubia, chronologicè ordinandi, via satis tuta aperitur. Verè id observatum adstruent, quæ pro argumenti ratione hìc alleganda veniunt. Cœtus Antiochenorum Credentium capit. 11. narratur primùm Gentilibus ad fidem conversis auctus Cypriorum, & Cyrenæorum prædicatione; quarè multo novorum Fidelium ex Gentilitate numero accedente, ejus rei *pervenit sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, & miserunt Barnabam usquè ad Antiochiam*. Cùm autem *apposita* ex Barnabæ prædicatione fuisset, *multa turba Domino, profectus est ille Tarsum, ut quæreret Paulum, quem cùm invenisset, perduxit Antiochiam*. Vides Lector usquè ad hæc tempora, omnia Antiochiæ facta nutu Hierosolymitanæ Ecclesiæ; nondùm

dùm proindè Lucas Ecclesiæ nomen Antiochenorum fidelium cœtui tribuit, nondùm etenìm suo Episcopo regebantur. Id tamèn mox factum indicat Ecclesiæ vocabulo utens, nec est imposterùm quidquam in toto Actuum Apostolicorum Libro, quòd Hierosolymitanæ Ecclesiæ in Antiochenam Jus indicare valeat; tùnc enim cessavit, cùm ibi Ecclesia est constituta. Id cùm effectum est, Discipuli primùm cognominati sunt Christiani, cæptumque insigni eo nomine Judæos credentes à nòn credentibus discernere, & Apostolorum Collegium à Hierosolymitana Ecclesia segregari cæpit, quod fieri debere non nisì post duodecim ab Ascensione annos, tradente Apollonio, Christus præceperat. Id totum mihi significatur per illa Lucæ, quæ sequuntur verba, *& annum totum conversati sunt ibì in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, itaùt cognominarentur primùm Antiochiæ Discipuli Christiani*. Hæc autem quandònam facta sint duabus chronologicis faculis demonstrat Lucas subjiciens statim, ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις, *eisdem diebus* per Agabum Prophetam Antiochiæ prædictam *famem magnam futuram in universo Orbe Terrarum, quæ facta*

ﬅa eſt ſub Claudio; & capitis ſequentis initio κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, *eodem tempore* ab Herode *occiſum Jacobum fratrem Johannis gladio*, Petrum autèm carceri traditum; qui cum Angeli ope liberatus fuiſſet, ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον, *abiit in alium locum*, Herodem autèm paulò poſt Cæſareæ mortuum. Deceſſit Herodes, nemine contradicente, anno Claudii imperantis quarto, vulgari quadrageſimo quarto; quarè ex eo quòd Petrus paulò antè hujus mortem è carcere liberatus *in alium locum abierit*, argui videretur, Petrum nonniſi anno 43., vel 44. Antiochenam Cathedram fundaſſe. At Agabi Prophetia de futura fame in univerſo orbe Terrarum rem attentiùs conſiderandam eſſe monet. Penè toto imperantis Claudii tempore fames Orbem Romanum afflixit, ut ex Veterum lectione, & numiſmatibus C. V. Pagius notavit ad annum Chriſti quadrageſimum ſecundum. Licèt Petavius lib. 11. de Doctr. temp. cap. 12. ſentiat diverſam famem, de qua Agabus ab ea, de qua Joſephus, & Uſſerius eandem æxiſtimet anno Claudii quarto continuatam uſquè ad ejuſdem annum ſextum, cùm Helena Adiabenorum Regina Judæis opitulata

eſt;

eſt; convenire tamèn videntur in eo, quòd Agabus prædixerit famem anni ejus Imperatoris quarti, quæ Petavio diverſa dicitur à fame anni ſexti, Uſſerio eadem. Verùm Baronius famem, de qua Agabus eam eſſe ait, de qua Dio lib.60. anno Claudii ſecundo conſignatam, quam præcedenti anno prædixerit Agabus. Fames ingens ſanè, & ob quam potuerit ſequentium annorum ejuſdem continuatio prævideri; quarè publicæ Italiæ egeſtati, ut facilè in poſterùm ſuccurreretur, cæptus Oſtienſis Portus extrui; *opus ægrè poſt undecim annos, quamvìs continuis triginta hominum millibus ſinè intermiſſione operantibus, finiendum*, ut Suetonius in Claudio cap.20. Magno itàque Annalium Eccleſiaſticorum Patri mihi adhærendum puto, & famem primò Orbem affligentem agnoſco, poſt colligendarum ſegetum tempeſtatem, & inclinatum annum Chriſti vulgarem quadrageſimum ſecundum, qui Baronio eſt quadrageſimus quartus, quo à Kalendis Februarii annus ſecundus Claudii cæperat; Agabum autèm, vel anno præcedenti, vel ipſis quadrageſimi ſecundi initiis famem predixiſſe. Ut autèm id credam eo argumento adducor, quod Agabus divinitùs de

re

re mox futura edoctus, si famem anni quarti Claudii, & sequentium prædixisset anno tertio, vel secundo fame ipsa jam tùm Orbem affligente, rem prænuntiasset ipsis Gentilibus, rationibus à natura petitis, prævisam. Nec tamen famis initium retrahi potest ad primum ejusdem Claudii annum, ut sensit Pagius, quæ cæpta sævierit quàm maximè anno secundo; sola enim Nummi ex Mediobarbi Occone desumpti ratio, famem hujusmodi non probat; potuit enim Claudius publicam annonæ abundantiam procurare, licèt fames nondùm adesset, nec futura prævideretur, Senatu ex qualibet causa novo Imperatori adulandi materiam quærente; ac in ea re proindè Dioni potiùs, quàm numismatibus credendum est.

VI. Statuendum itàque eodem ferè tempore, & quod ait Lucas, ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις, Agabum prædixisse famem paucos post menses futuram, & Cœtum Antiochenorum Credentium, Petro in primis, ac Paulo, Barnabaque laborantibus, Christiano nomine vocari cæpisse, constitutis Ecclesiæ Typo Presbyterio videlicèt, & Petri Cathedra. Quo facto Hierosolymam Petrus abiens ab Agrippa Judæis morem gerente, qui Jacobum

Ja-

Johannis fratrem gladio occiderat, in carcerem detrusus est, statim ab Angelo liberandus; quæ quidem anno sequenti Claudii tertio evenerint. Ità Februario ad finem vergente, cæpto jàm Claudii imperantis ab ipsius Februarii Kalendis, anno secundo, annoque à Christi Passione duodecimo cadente, Cathedra Antiochena, Petro sedente, constituta est, & quòd inciperent Credentes in Christum suo veluti Systemate in Judaica politia regi, novum nomen assumpsere, Christianique vocati sunt. Et eodem quidèm tempore, & Antiochenam Cathedram à Petro fundatam, & Christianum nomen exortum, & Conventum Apostolorum celeberrimum Ecclesiam videlicèt, in qua primùm extrà Terram Synedrii Apostolici Jus omne emicuit, quod anteà Hierosolymis tantùm fuerat, visum, tanto consensu Patres cognovere, ut de Antiochenæ Sedis Privilegiis nunquàm loquantur, quìn hæc ipsa in eorum argumentum allegent. Sanè ità mihi intelligitur celebris Innocentii locus ex epist. 18. cap. 1. ad Alexandrum Antiochenum, quem cùm non intelligerent Doctissimi aliàs Viri, ità traduxere, ut vel Synodum Apostolorum, quæ nunquàm habi-

habita est, laudarent, vel Innocentium lapsum dicerent, qui quod Hierosolymis factum fuerat, Antiochiæ adscripsisset. Clara & vera omnia, si ritè intelligantur, *advertimus*, inquit, Pontifex, *non tam pro Civitatis magnificentia* (ad quam nullo modo respexisse Apostolos decernit) *hoc eidem attributum* (Primatus videlicèt suprà Diœcesim) *quàm quòd prima Apostoli Sedes esse monstretur, ubì, & nomen accepit Religio Christiana, & quæ Conventum Apostolorum apùd se fieri celeberrimum meruit*. Passim autèm ex Petri Sede, ac ex nominis Christiani natali adstruunt Antiochenæ Ecclesiæ prærogativam, quòd utriusque eodem tempore initium fuerit, antiqui Patres.Ità Gelasius in Concilio Romano; *est ergò prima Petri Apostoli Sedes .... Tertia verò Sedes apùd Antiochiam ejusdem B. Apostoli Petri habetur honorabilis, eo quòd illic priusquàm Romam venisset habitavit, & illic primùm nomen Christianorum novellæ Genti exortum est*. Chrysostomus Antiochenus ipse tom.p. homil.42. Petrum ob id Antiochiæ sedisse tradit, quòd ibì Christianum nomen exortum sit; *hæc est una*, inquit, *nostræ Civitatis prærogativa dignitatis, quòd Principem Apostolorum ab initio*

tio

tio Doctorem acceperit. Æquum enìm erat, ut ea, quæ nomine Christianorum antè universum Orbem terrarum ornata fuerat, primum Apostolorum Pastorem acciperet. Idem homil.7. in Matth. *vos autem, si quidèm aliquod de honore certamen oriatur, omni ambitione contenditis, ut vèl universo præsideatis Orbi, illo scilicèt vobis privilegio blandientes, quòd hæc prima Civitas Fidelibus Christianorum nomen imposuit*; & homil. 3. ad Populum Antioch. *sicùt Petrus*, ait, *intèr Apostolos primus Christum prædicavit, sic intèr Civitates hæc prima tanquàm coronam quamdam admirabilem Christianorum tulit appellationem.* At nil clarius, dissertiusque afferri potest, quàm ipsum Ignatii martyris testimonium, qui & Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, & Apostolis synchronus, rei testis est omni exceptione major, ac in Epistola ad Magnesianos hæc habet; *Simus itàque digni cognomento quod accepimus, qui enìm alio nomine appellatur prætèr hoc, hic non est Dei, nec accepit prophetiam loquentem de nobis; & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit, & erit Populus Sanctus; Antiochiæ enim primùm Discipuli appellati sunt Christiani, cùm Petrus, & Paulus Ecclesiam fundarent.* Quibus

bus

bus licèt superfluum sit alia addere, juvat tamen observare quemdam locum in Chronico Paschali, vel ab Auctore vetera ineptè consarcinante confusum, vel ab alio quopiam interpolatum, ex quo tamèn satis constare potest, quàm recentiora traditis ab Eusebio, Antiocheni existimarent, & sequioribus Seculis suæ Ecclesiæ initia; constat enim inter eruditos Chronicon illud, Antiochenum potiùs, quàm Alexandrinum vocari debere. Itàque sub Collegio illo Consulum, quo Claudius primò Consul processit, quodque uno anno antevertit verum Claudii Consulatum, quem Imperator renuntiatus iniit anno vulgari quadragesimo, hæc habentur. *Petrus Apostolus bis Coss. primus Ecclesiæ Antiochenæ fundamenta jecit*. At Leliano, & Plautio Coss. anno videlicèt vulgari 36. hæc scripta; *quarto post Domini in Cœlos assumptionem anno Petrus Apostolus Hierosolymis Antiochiam magnam profectus Verbum Dei docuit, & Episcopatus ordinatione suscepta à Judæis, qui Christiani effecti erant persuasus illìc semet in Thronum immisit, nequè quemquam ex Gentilibus, qui fidem receperant, aut excepit, aut amplexus est, sed illis ità dimissis indè exivit*. Verùm quì

ſimùl vera eſſe poſſunt, ut Petrus Antiochiæ Leliano, & Plautio Coſs. *Epiſcopatus ordinatione ſuſcepta ſemet in Thronum immiſerit*, & deindè Claudio primùm Coſs. *Eccleſiæ Antiochenæ fundamenta jecerit?* Dicam quod eſt; aſſuta ſunt, quæ primo loco de Petri Epiſcopatu Antiocheno ſcribuntur. Extat in Theſavro temporum Scaligeriano, poſt Euſebii Chronicon Epitome Chronicorum ab Adam ad Eraclii tempora, quæ ipſum Chronicon paſchale eſt, ſinè adſcititiis aſſumentis. Ibi Leliano, & Plautio Coſs. hæc tantùm habentur τετάρτῳ ἔτει τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου, Πέτρος Ἀπόστολος ἀπὸ Ἱεροσολύμων ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἐδίδασκεν. Cætera non leguntur, nec legi poſſunt, cùm ad Claudii Conſulatum transferantur Antiochenæ Sedis initia. At aliàs quamvìs ſeriùs, quàm fieri ſolcat hæc ponantur, & in hac parte propiùs ad veritatem accedatur, nulla tamèn in cæteris temporum ratio ſervata. Crediderim primùm, quòd vetera Antiochenæ Eccleſiæ monumenta haberent, Cathedram ibi Petrum conſtituiſſe Claudii imperantis initiis, negligentèr, & abſquè majori indagine à Chronici Auctore primo ejuſdem Conſulatui colligata ejus Ec-

Ecclesiæ primordia, Collegiis Consulum perperàm collocatis. At exigua admodùm lux ex sequioris Ætatis Scriptoribus hujusmodì; quarè nil moror, vel Suidam, vel Johannem Malelam, qui licèt ad initia Claudii nomen Christianorum exortum dicant, id tamèn Evodio sedente post Petrum, factum dicunt, qui vel post id temporis sedit, vel Vicarius assumptus est à Petro, ut Romæ factum doctissimi Viri sentiunt, potuitque ex Synagoga manare, in qua summo Pontifici Vicarium affuisse constat, ut ex Maimonide notavit Cunæus de Rep. Hebr. lib. 2. cap. 6.

VII. Statuta autèm Antiochenæ Sedis epocha quantùm quidèm operæ pretium esse videbatur, ut Apollonii traditio ab oppositis vindicaretur; nùnc ad formam, quam secuti fuere Apostoli prima illa Periodo Ecclesias fundantes, regrediendum est. Celebris est Grotii in Act. 6. & alibì ac aliorum sententia; *totum regimen Ecclesiarum Christi, conformatum fuisse ad Synagogarum Exemplar*; at ea in re ad Veterum sensum ex plurimis, quæ adnotanda forent, nonnulla saltèm propiùs argumentum tangentia delibanda sunt. Capite præcedenti plura de

O 2 Judæo-

Judæorum Republica in medium protuli, ex quibus illud in præsentiarùm repetendum est, quòd tota Judaici Regiminis forma, ob quam distinguebatur ab omnibus, singulisque cæterarum Gentium Regiminibus in eo stetit, quòd omnia ordinabantur ad Dei cultum; quarè Jus omne à Majestate non humana, sed divina pendebat, & ipso Deo decernente, *Regale Sacerdotium* vocabatur. Lex autem universa tribus constabat, videlicèt moralibus, cæremonialibus, & judiciariis, quæ Deut. cap. 6. dicuntur *præcepta, cæremoniæ atque judicia*. Nùnc audiendus Juris Judaici peritissimus Paulus Apostolus Epist. ad Hebr. cap. 7. ubì in eo totus est, ut suis Contribulibus probet sub Aaronico Tribus Levi Sacerdotio, Legem compleri non potuisse, quòd Sacerdos alter exurgere deberet æternus secundùm Ordinem Melchisedech, qui quod Lex vetus præmonstraverat, & sublimiori, & divina methodo compleret, perficeretque. *Translato autèm Sacerdotio*, subinfert Apostolus, *necessè est, ut & Legis translatio fiat*. Indè Epiphan. Heres. 29. *Sacerdos, itàque est Jesus Christus in æternum secundùm ordinem Melchisedech, simùlque Rex juxtà ordinem ex super-*

supernis, ut transferat Sacerdotium simùl cum Lege, ex semine verò David propter Mariam sedens in Throno in æternum, & Regni ejus non erit finis; oportebat enim ipsum nùnc transferre ordinem, tùm Sacerdotii, tùm Regni; Ità & 1. Petri 2. Ecclesia *Regale Sacerdotium*, ut vetus Synagoga, vocatur: quarè idem Epiphanius; *manet enim Thronus ipsius, & Regni ejus non erit finis, & sedet supèr Thronum David, ità ùt Regnum David unà cum Pontificatu transtulerit, & largitus sit servis suis hoc est Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ.* Hìnc consequatur oportet, quòd veteris Reipublicæ substantia per metathesim, de qua Apostolus, à carnalibus, & sensibilibus, ad justificationem immediatè, quæ anteà mediatè intendebatur, translata, Regale Sacerdotium, & Jus Majestatis divinæ completum emerserit, cujus Lex ἐυαγγέλιον τῆς βασιλείας vocatur Matth. cap. 4. & alibì. Jus itàque Majestatis divinæ, quod ratione finis idem cum Jure veteris Sacerdotii, quamvìs multò nobilius ob immediatum finis prædicti respectum, ipso Christo summo Pontifice, Propheta, Legislatore, & Rege vetera implente, & ad superiorem ordinem promovente, statìm à Passione viguit, & post

illius Aſcenſionem, Petro in primìs, indè Apoſtolis ceſſit, quibus Epiſcopi ſucceſſere. Ità vera vis Majeſtatis in Apoſtolicum Synedrium, ſummumquæ novæ Legis Pontificem, à veteri Pontifice, Synedrioque, translata duabus facultatibus compræhendebatur, Legislatoria videlicèt, & Judiciaria, quam non modò Catholici agnoſcant, ſed & nonnulli non Catholicorum Doctiores (licèt hi quod Apoſtolico muneri concedunt, perperàm Regali novæ Legis Sacerdotio, ipſo negato, adimant) inter quos vide Philippum Jacobum Hartmannum; *De rebus geſtis Chriſt. cap.3.* qui hæc ex Spanhemii Diſſert. de Apoſtol. & Apoſtolis contrà Hobbii Syſtema, tranſcribit, & mihi tranſcribenda; *Character nonus* τῦ κλήρυ τ̃ Ἀποςολῆς exponitur *poteſtas quædam Judicialis, & Legislatoria in ſpirituali Eccleſiæ regimine, ac ſalva civili poteſtate à Chriſto iiſdem conceſſa; undè ſeſſio illa metaphorica ſupèr duodecim Thronis, & ligandi præceptis, interdictis, pœnis, ſolvendique ab iſtorum obligatione, harumque vinculo ſumma ſub Chriſto, ac ſingularis poteſtas:* & ſequuntur utriuſque poteſtatis argumenta ex ſacro volumine, petita. At Legislatoria poteſtas roformandis

dis

dis veteris Legis præceptis, seù ad suum immediatè finem reducendis, Moralibus retinendis, abrogandisquè cæremonialibus; Judiciaria, judiciariis exercendis prò novæ Legis natura, & exigentia data fuerat. Ità Lex vetus adimpleta est per novam Christi Legem, proùt scitissimè explicat D. Thomas p. 2. quæst. 107. art. 2. hìc audiendus. *Lex nova*, inquit, *comparatur ad veterem, sicùt perfectum ad imperfectum. Omne autèm perfectum adimplet id, quod imperfecto deest, & secundùm hoc Lex nova adimplet veterem Legem in quantùm supplet illud, quod veteri deerat.* Insignem autem differentiam ex Patrum scitis agnoscit Angelicus Doctor intèr cæremonialia, & judiciaria præcepta; quòd cæremonialia ex sui natura figuræ rationem immediatè habebant, judiciaria licèt, & ipsa in figura contingerent, id tamèn mediatè tantùm habebant, quarè post impletas figuras cæremonialibus ampliùs locum esse nequiret, quatenùs implicitam futuri protestationem importabant; at judiciariis utendi adhùc potestas esse possit, cùm faciliùs figuræ ratione spolientur. Videatur ille quest. 103. art. 4. & quest. 104. art. 15. Cùm hæc itàque ejus naturæ fuerint, ex

Apostolorum praxi circà cæremonialia de praxi circà judicialia constare facilè poterit; consequitur enìm quod, si cæremonialibus uti voluerunt, multò magìs, & judicialibus usi sint. At illud etiam considerandum, quòd quamvìs Judæis credentibus, ad Apostolorum præscriptum liceret veteribus insistere, dummodò ea ad salutem minimè necessaria faterentur, id tamèn Gentilibus nequaquàm licuit, sed nec Gentilibus licuisse, nec Judæis ad fidem conversis, Gentilitatis superstitiosa vel retinere, vel adsciscere, quandòquidem intrinsecè mala. Ea de causa Judæi antè Gentilium admissionem ad Baptismum, ab eorum moribus, & commercio juxtà Legis Dogmata, & insitum animis odium abhorruere, & post admissos, ægrè eorundem societati assensere, & ut assentirentur multùm laboratum est ab Apostolis.

VIII. Porrò ex his omnibus primæ Apostolorum periodi facies probè spectatur. Nulla Gentilium ratione habita id unum quæsitum est, ut Synagoga veterum Prophetarum promissis potiretur, & novo Messiæ *Regali Sacerdotio subjiceretur*. Servatus Hierosolymis, & Templo suus honor, retenta quæ Sacris

cris Legis tabulis nitebantur, vel laudabilis traditionis auctoritati, ac omnia congruè ità disposita, ut idem Judæorum Populus nullis Alienigenarum admissis perseveraret. Ità vetera minimè antiquata sunt, sed translata à carnalibus, & imperfectis ad spiritualia, & perfecta, itaùt judiciaria, quæ anteà immediatè terrenum regimen, mediatè spirituale, nova metathesi immediatè spirituale, mediatè temporalia, tanquàm objectum, aspicerent. Eo sensu *Regnum Christi*, ut Christus ipse prò Tribunali respondens dixerat Pilato, *minimè* ut anteà, *de hoc Mundo fuit*; videlicèt, non quòd nulla visibili in Ecclesia Jurisdictio esset, sed quià omnis visibilis Juris dictio in Ecclesia tanquàm ad finem, ad spirituale regimen referri debebat, quippè non ex confœderata disciplina, ut ajunt, sed ex Jure Majestatis divinæ, cui vetus Judæorum Respublica, Regno illo, quod *de hoc Mundo fuerat*, præluserat, effluebat. Prima itàque illa Apostolicorum temporum Periodo, retenta in plurimis judiciariæ potestatis methodus, mutatus finis & objectum, & cùm nil fini officeret, ut ubì temporalia civilia, sivè criminalia intrà terram procurabantur pœnis, præmiis, edictis, ibi eisdem mediis

spi-

ſpiritualia procurarentur, id ex Chriſti ſummi Pontificis, ac Regis præſcripto, auctoritate in Petrum, & in Apoſtolos tranſmiſſa, effectum eſt. Intèr cætera autèm prima illa periodo obſervanda illud fuerat, *ne in viam Gentium* abirent Apoſtoli, quarè nullo modo primas Eccleſias fundantes Gentilium Typo civili poterant ſe conformare, Gentilibus enim communicare profanum, vetitumque exiſtimavit, ut Judæorum quiſque, Petrus, omnium, qui crediderant Princeps, ac Summus Pontifex, qui proindè, cùm tandèm in extaſi illa celeberrima, Gentiles admittendos cognoviſſet, Centurionem, & cæteros alloquens dixit Act. cap 10: *vos ſcitis quomodò abominatum ſit Viro Judæo conjungi, aut accedere ad Alienigenam.* Incredibile itàque eſt quod aſſerunt, qui antè prædicatam Gentilibus Chriſti Legem, Antiochenam Eccleſiam fundatam dicunt à Petro ad civilem Gentilium politiam ſe conformante, qui ibi potiùs, quàm alibì ſedere voluerit, quià Antiochiæ Orientis, ſeu Syriæ Legatus Proprætore reſideret; etenim cùm Judæorum tantùm ratio tunc habita ſit, & cùm Gentilium moribus conformari nefas ſit creditum, & incongruum, & abominatum id agen-

agentes admisissent Apostoli. Intrà Judaicæ itàque Politiæ fines perstitere tùm maximè, cùm soli Judæi quæsiti sunt, sed nec extrà Terræ fines ob Domini præceptum Ecclesias constituerunt, licèt aliàs ob dispersos fratres potuissent cuilibet Tractui unum quod cæteris præesset Synedrium, seù Præsbyterium præficere. Hierosolymis, ubi vetus Synedrium majus, prima omnium Jacobo Episcopo Ecclesia radiat in Actibus Apostolicis, quæ jàm fundata laudatur, ubi Stephani cædes narratur cap. 8. *facta autem est in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis*. Indè Judæorum credentium numero crescente, cùm in omnibus Portis intrà Terram, ubi certus Israëlitarum cœtus adesset Synedria constitui deberent, id factum tandèm agnoscimus ex eisdem Actib. cap. 9. ubi Judeæ, Galileæ, & Samariæ totius Ecclesiæ laudantur, αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι καθ' ὅλης τῆς Ιουδαίας, καὶ Γαλιλαίας, καὶ Σαμαρείας εἶχον εἰρήνην; *Ecclesiæ autèm per omnem Judæam, Galilæam, & Samariam pacem habebant*. Prætèr hasce Ecclesias intrà Terræ fines constitutas, nullam indicat Lucas antè Centurionis Baptismum fundatam, quarè Metropolitani Juris origo antiquissima à Judaicæ Poli-

tiæ Systemate accersenda, non à Gentilium civili Typo. Sicùt enim in Judæorum Republica ab Hierosolymis, omnis in totius Terræ minora Synedria in qualibet Urbe constituta Jurisdictio derivabatur, undè facultas ex Ordinatione ad docendi, & judicandi potestatem, & in Legis dubiis controversiarum judicium, à magno Synedrio fluebat; ità, & hæc omnia translata sunt in novum Judæorum credentium cœtum, & constitutæ in omni Judæa, & Galilæa, & Samaria Ecclesiæ, ab Hierosolymitana, & Ordinatione, & doctrina, & judiciis dependentes. Ordinatus est Hierosolymorum primus Episcopus Jacobus Justi cognomento celebris, qui Presbyterii sui Princeps, Judæorum credentium intrà Terræ fines degentium sollicitudinem habiturus erat. Hujusmodì ordinatio facta est à Petro duobus Apostolici Synedrii Colleghis assumptis Jacobo, & Johanne, servata videlicèt Judaica ordinationum forma, de qua superiori capite. Ejus rei Testem habemus Clementem Alexandrinum apud Eusebium Hist. lib. 2. cap. 1. cujus sunt ea ad primam tantùm Apostolici ævi periodum applicabilia, cùm primus honoris gradus Hierosolymitanus fuit. Πέτρον γάρ φησι, καὶ

Ἰάκω-

Ἰάκωβον μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Σωτῆρος, ὡς ἂν, καὶ ὑπὸ τοῦ Κυρίου προτετιμημένους μὴ ἐπιδικάζεσθαι δόξης, ἀλλ' Ἰάκωβον τὸν δίκαιον Ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἑλέσθαι; *Petrum autem*, inquit, *ajunt & Jacobum, & Johannem post Ascensionem Servatoris, quamvis à Domino prælatos, non ideò de primo honore contendisse; sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum Episcopum constituisse.* Ex quo Clementis loco sua accepit Auctor Epistolæ Anacleto suppositæ. Nec dubitandum, idem servatum fuisse in Judeæ, Galilææ, & Samariæ Episcopis ordinandis; quandòquidem ab Apostolicis ad subsecuta tempora propagatum est, ut à tribus Episcopis, Episcopus consecraretur, qua de re extat Canon inter illos, qui Apostolici nuncupantur. Nec id alia auctoritate fieri potuit, quàm Hierosolymitani Senatus, qui & tempore, & divina ordinatione cæteris Terræ præcessit. At, & alterum Juris Metropolitici Hierosolymis residentis argumentum ex judiciis, decretisque habitis ea priori Periodo durante, Actuum Apostolicorum Liber suppeditat. Controversia intèr Græcos Proselytos justitiæ credentes, & Judæos conversos exorta de Ministerio Viduarum dirempta est Hierosolymis con-

constitutis Diaconis promotoque mensarum ministerio ad aliud eximius Sacræ Synaxis. Cùm Philippi prædicatione Samaria verbum recepisset, Hierosolymitano Presbyterio decernente, Petrus, & Johannes missi sunt, qui super Baptizatos imponerent manus. Demùm cùm Centurio Cesareæ Baptismo primus ex Gentibus ablutus fuisset, Petrus Hierosolymam ascendit, ubì de ea re disceptatum est, & Petro ipso pluribus Synedrium edocente in re gravissima tandèm conclusum est; *ergò & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam;* & quod supra notatum est, *cum ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis* pervenisset Antiochiæ Gentilibus Evangelium prædicatum, missus est Barnabas, qui Paulum Tarso evocatum illùc perduxit.

IX. Admissis autèm in primìs apùd Antiochiam Gentilibus, *appositaque multa turba Domino*, cùm anteà creditum fuisset solos Israëlitas Baptismi gratia initiandos, Hierosolymitanæ, quæ Judæorum Terræ præerat Ecclesiæ, altera adiici debere est agnitum, qua speciali Jure Judæis quidèm extrà Terram degentibus, sed & Gentilibus conversis prospiceretur. Horum autem Cœtus, qui

qui Judæorum, ut anteà, & ut in Terra, dici usquequàque verè, nequibat, novo nomine Christianorum dictus est. Quamvìs autèm Antiochiæ collocato altero Synedrio, ipso Petro Pontifice, ac Principe sedente, quod nullo modo ab Hierosolymitano penderet, recessum sit à veteri Judæorum more, retenta tamèn cætera, non tanquàm necessaria saluti, sed tanquàm tùnc vel non mortifera, vel adiaphora; quarè crediderim servata ex Judaicæ Legis, & probarum traditionum præscripto, quæ servari solebant in Proselytorum justitiæ admissionibus apud Judæos, cùm de Legalium jugo tollendo nondùm Lex lata fuisset, cùmque Judæorum conversioni prospiciendum foret; etenìm quod de Paulo Timotheum circumcidente scripsit Augustinus lib. de Mendacio cap. 5. multò magis credendum est de Apostolis omnibus Judaica observantibus, & postquàm Gentiles in Ecclesiam admiserunt; id videlicèt eos fecisse, *ut ostenderent Cognatis suis ad eos lucrifaciendos, non hoc se didicisse in disciplina christiana, ut illa Sacramenta, quæ veteris Legis erant, abominarentur*. Sicùt & post Hierosolymitanum Concilium, in quo definitum est, Gentibus

Le-

Legis jugum non esse imponendum, Apostoli tamèn, cùm Judæi essent adhùc Legalia observavere; *ut demonstrarent Judæis non ideò Gentes non ea suscipere, quia mala sunt pernitiosè à Patribus observata, sed quià jàm saluti non necessaria*. Ea in re itàque pro secunda Ævi Apostolici periodo observandum est, primùm admissos ità fuisse Gentiles, tanquàm si in Judaismum adsciscerentur, postmodùm id etiàm diù perseverasse, eo tamèn adhibito temperamento, ut ex Ecclesiæ judicio minimè legalium observatione premerentur, si excipias abstinentiam à sanguine, & suffocato, quod impositum, ut obeuntis Synagogæ honori consuleretur, quatenùs ex Gentilibus Christiani effecti intelligerent non mala esse, sed tantùm non necessaria saluti, quæ à Judæis ad fidem conversis observabantur. Porrò his, qui ex Circuncisione credebant, non modò Apostolica ætate durante, sed & usque ad Justini Martyris, imò, & Origenis tempora, licuit Legalia observare. In Dialogo contrà Triphonem, interroganti de ea re Judæo, Justinus respondet, esse quidèm contrariæ sententiæ Assertores, qui dicerent mortifera legalia Judæo, qui Christo nomen dedisset,

hos

hos tamen *non collaudo*, inquit, Justinus; *sed si ipsi propter animi imbecillitatem etiam quæcumque nùnc possunt, ex Mosis constitutionibus, quæ ob duritiam cordis populi sancita esse intelligimus, unà cùm concepta in hunc Christum spe, atquè perpetuis, naturaque comparatis justitiæ & religionis veræ actionibus servare, & cum Christianis, Fidelibusque vivere voluerint, ut modò illis non suadeant paritèr cum eis circuncidi, sabbata agere, aliaque quæcumque tandèm sunt ejuscemodi exequi; eos ricipiendos, & ad communionem rerum omnium, ut fratres, eorundemque viscerum homines, admittendos esse censuerim*. Origines lib. 2. contrà Celsum; *Judæi, qui in Jesum crediderùnt non desciverunt à patriis legibus, vivunt enìm juxtà eas*. Gentiles autèm in Christum credentes per plura secula Græci potissimùm, à sanguine, & suffocato abstinuerunt, qua de re plura congessit doctissimè Baronius ad annum 51. n. 17. & sequentibus. At, ut ad Apostolicam ætatem revertar, illud asfero, secunda illa Periodo Judæis quodammodò Gentiles per fidei Christianæ confessionem accessisse, primòque, ac principalitèr Israëlitas, secundariò Gentiles quæsitos, licèt accedentibus Gentilibus Hierosolymi-

tana Ecclesia desierit esse unica cæterarum Metropolis, & aliæ extrà Terram Judaico-Gentiles sint constitutæ. Cùm itàque ob Gentilium Judæis credentibus accessionem, extrà Judæam, Galilæam, ac Samariam, novæ Ecclesiæ ab Hierosolymitana, quæ solis Judæis præerat, independentes, fundatæ sint; quòd citiùs, seriusvè, hæc vel, illa sit constituta ob id evenit, quòd citiùs, seriusvè hìc, vel alibì Gentiles Judæis accesserint; cùm autem nihilominùs principalitèr Judæorum ratio haberetur, quòd Alexandriæ potiùs, & Antiochiæ, quàm alibi Metropoliticum Jus radiaverit, ex Judaica forma fluxit, quià videlicèt Alexandriæ primùm, deindè Antiochiæ illustriùs, quàm uspiàm alibì degebant Judæi, quod in superioribus ostensum est.

X. Vexat etenìm communis Sententiæ Assertores biceps difficultas, cur videlicèt Alexandrina Ecclesia, licèt Petrum Episcopum non habuerit, sicùt Antiochena, illa tamèn illustrior sit habita, & cur Petrus antè Alexandrinam, Antiochenam ipse fundare voluerit, quamvìs ab Alexandrina secundam. A priori utcùmque se expediunt, formam civilem, quam sequi voluerit Petrus in caussa allegantes, quod ex disputatis suo loco mi-

minimè subsistere facilè agnoscet quisque. Alterius solutio ipsis intentata. Mihi omnia suo ordine fluunt. Antiochiæ primùm Gentiles Judæis accessere, quàm Alexandriæ, ideò Antiochiæ priùs nova Ecclesia, quàm Alexandriæ fundata est. Petrus autèm ipse sedit, quòd tùnc primùm cæpit à Hierosolymitana, quæ Judæorum tantùm, altera Ecclesia, quæ Judæorum, & Gentilium, radiare, & paries uterque in lapide angulari, & Petra coalescere. Indè, & in cæteris Orbis Provinciis Judaici incolatus Ecclesiæ fundatæ sunt, cùm ibi Judæis credentibus ubique post διασποράν cum D. Stephani Martyrio narratam, dispersis, Gentiles accessere. Cùm autèm nullibì illustriùs Judæi Sedes haberent, quàm Alexandriæ, ideò Alexandrina Ecclesia cæteris prælata. Ubiquè etiam pro Judæorum more extrà Terram, cùm in quolibet Tractu unum Synedrium Jus diceret, ità & ibidem una cæteris ejusdem Tractus Ecclesiis præfulsit. Nec secùs id fieri potuit rerum, & temporum spectata ratione. Scilicèt animadverti oportet, quo loco Cajo imperante Judaicæ res essent, quod facilè ex Josepho, & Philone agnoscimus. Vix Hierosolymis, ac intrà Terram ad Legis præscriptum

vivere permissi Judæi; egrè Cœtuum, & Synagogarum extrà Terram religio; Alexandriæ in primis Senatores ludibrio habiti, nec Ethnarcha Gentis haberi concessum. Eodem loco res Christianorum fuerunt, cùm hi, & Judæorum nomine venirent. Quis itàque credat antè Claudii imperantis initia extrà Terræ Judaicæ fines Ecclesias constitutas, vèl cùm Claudio imperante constitutæ sunt, alia forma constitutas, quàm, qua Ethnarchas, Synedria, Synagogas constituere permissum est Judæis? Mirabili itàque Numinis providentia factum est, ut cùm Gentiles Christo nomen dedere, ac proindè novæ Ecclesiæ extrà Terram ubì & Judæi, ac Gentiles in unùm convenirent, fundari oportuit, Claudius Cajo succedens, amplissimis Edictis Alexandriæ, & alibì Judæorum privilegia sarta tecta servanda ediceret, ac Ethnarcharum, Synedriorumque restituendorum facultatem concederet, quò ubicumque in Imperii Provinciis Judæi degebant Ecclesiæ fundari possent, quæ minimè impedirentur constitui, quòd existimarentur ex Judaica disciplina coalescere. Similia adeò omnia Judæorum, & Christianorum fuisse sensit Hieronymus in Ep. ad

Gal.

Gal. 6. ut *quicumque circuncisus erat, licèt in Christum crederet, quasì Judæus habebatur à Gentibus*; quarè qui Gentiles conversos depravare curabant, ea via Gentilium odia declinari posse suadebant, si circunciderentur. Omnia itàque Christianis concessa, qui Judæi credebantur, vel nati, vel ex Gentilismo proselyti, juxtà Augustorum Edicta, suis Legibus utentes. Si quid itàque in hac re video, nulla ab Apostolis Ecclesia fundata est extrà Judææ fines antè Claudii Edicta, quæ ejus Imperii anno primo data satìs constat; nullibì fundata est Claudio imperante Ecclesia, quìn ibìdem frequentes Judæi degerint; nec nisì ubì, vel Ethnarchæ vel Tractuum Synedria habebantur, undè Metropoliticum Jus fluxit primi Episcopi, & Presbyteria sunt constituta, servata Judaica forma, ut id ex Claudii Edicto fieri videretur, nec Judæorum non credentium, nec Gentilium non conversorum odio, & conatibus impediri valeret. De Claudii Edictis Judæis, & Christianis communibus, & de Christianis sub Judæorum nomine à Gentilibus acceptis, vide quæ congerit Seldenus de Synedr. lib. 1. cap. 8.

XI. Quamvìs verò conjecturis, & ipse agam,

 au-

aufim tamèn afferere, ad adftruendam Metropolitani Juris antiquitatem, quod ex ipfa Apoftolica inftitutione manaverit omnia in præfenti Syftemate adeò ex certis confequi, ut affenfum etiam ab invito extorquere valeant. Prætèr allata autèm illud non conjecturale, fed certum videtur, quòd Hierofolymitana Ecclefia ufquè ad poftremum Urbis excidium eo ab Alexandrina, Antiochena, cæterifque charactere, difcernebatur, quòd ex folis Judæis credentibus conflata; quarè Epifcopos tantùm habuit, qui ex Circuncifione crediderant, & primos quidèm ex ipfis Chrifti Domini Confanguineis, qui fimùl ex David Regali femine propagati cenfebantur. Eufebius Hift. lib.4. cap.5. Epifcopos priores quindecim origine Hebræos dicit, *quippè tùnc temporis univerfa Hierofolymorum Ecclefia conflata erat ex Hebræis fidelibus, qui jam indè ab Apoftolorum ætate ad illam ufquè obfidionem permanferant, qua Judæi iterùm à Romanis deficientes maximis præliis domiti, atquè expugnati funt.* Egefippus autèm apud Eufebium lib.3. cap.32. de Chrifti Domini Confanguineis; *adfunt*, inquit, *illi* καὶ προηγοῦνται πάσης Ἐκκλησίας, ὡς μάρτυρες, καὶ ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου, *& præfident*

ſident univerſæ Eccleſiæ, teſtes, & cognati Chriſti. Vim inferat Lectioni, qui *univerſæ Eccleſiæ* nomine intelligere renuat Eccleſias, quas plures à Petro in Judæa, Galilæa, Samariaque fundatas, ex Actuum Apoſtolicorum lectione ſuprà adnotavimus, quaſque diſſertè laudat Paulus p. ad Theſſal. cap. 2. illis; *vos enim imitatores facti eſtis, Fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa.* Sed & à cognita veritate recedet, qui Cæſaream per ea tempora Palæſtinæ, Eccleſiaſticam Metropolim velit ex forma civili, quæ ex forma civili Metropolis minimè fuit uſquè ad Alexandri Severi tempora, ut capite præcedenti viſum eſt, & Hieroſolymitanam toti Judeæ præſediſſe neget, ubì omnes Chriſtiani ex Circunciſione credentes, Epiſcopique electi non modò Judæi, ſed uſquedùm potuit ex Chriſti Domini Cognatis, quod maximè notatum Egeſippo apud Euſebium lib. 4. cap. 22., ubì de Symeonis poſt fratrem Domini Jacobum, electione, quem *cunctis uno conſenſu ſecundum Antiſtitem* renuntiatum dicit, *eò quòd Cognatus Domini eſſet.* His urgentibus Doctiſſimus Tomaſſinus part. 1. lib. 1. cap. 12. Vet. & Nov. Ecc. Diſcip. à communi ſententia recedit, & antiquiſſi-

nam Metropolitici Juris originem à Judaica Hierosolymorum Metropoli deducendam satìs innuit, ubì ait, *simillimum veri esse judaizantis illius Ecclesiæ Episcopos primos quindecim circumpositis Ecclesiis omnibùs imperitasse; at excisa Hierosolyma, Æliæ Episcopum sub Cæsareensi fuisse Metropolita*. Postremum, quòd ait Doctissimus Auctor, incertum omninò; Eusebius etenìm ipse Cæsareæ Episcopus, qui diligentissimè Hierosolymorum, & Æliæ Episcopos recenset etiam qui quindecim prioribus successere, nullum Cæsareensem laudat antè Theophilum, qui Commodi anno decimo floruit. Agnoscit id autem clarissimus Vir, sed & illud fatetur, quòd licèt Eusebius ipse lib.5. cap.23. Palæstinæ Synodo in Paschatis Controversia celebratæ præsedisse dicat *Theophilum Cæsareæ Palestinæ, & Narcissum Hierosolymorum Episcopum*, & in ordinatione Origenis lib.6.cap.8. Cæsareensis Episcopi nomen Hierosolymitano præponatur; in Concilio tamèn Antiocheno adversùs Paulum Samosatenum, Hierosolymitanus præponitur; sic enìm habet Eusebius; *Hymenæus, qui Ecclesiam Hierosolymitanam regebat, & Theotecnus, qui Cæsariensem illi finitimam*

mam

mam administrabat. Quarè incertum omninò est quonam tempore Cæsarea Ecclesiastica Metropolis haberi cæperit, quæ si talis esse cæpisset cùm Hierosolyma eversa sub Hadriano fuit, Metropolis Ecclesiastica fuisset, antequàm Metropolis civilis ex Augustorum privilegio renuntiata esset, quæ per ea tempora *Primæ* tantùm titulo fruebatur. Misso nunc tamèn posteriori Cæsareæ privilegio, illud non conjecturale, sed ex Veterum allatis Testimoniis certum emergit; *Jacobum ei Ecclesiæ præfuisse, quæ prima in Christum credens ex Judæis fuerat congregata*, quod ait Hieronymus in Ep. ad Gal. cap. 1. Et antiquissima ideò omnium, Hierosolymitana Metropolis, quæ cùm solis Judæis præfuerit, ex sola Judaica forma profluxisse potuit, non ex civili Romani Imperii Typo. Admissis verò Gentilibus, cùm hi Hierosolymitanæ, in qua Judæi tantùm credentes erant uniri nequirent, quod alterum ex Judaica forma fieri poterat, singulis in Tractibus, ubì Judæi plures, Ecclesiæ cæterarum ejusdem Tractus veluti Matres sunt constitutæ, ubì Judæorum in primìs habita ratione, Gentiles conversi ad Christum transeuntes, ad Judæorum partes tran-

transire sunt visi. Porrò secunda illa Ævi Apostolici Periodo, usquè ad Hierosolymitanam Synodum, cùm Judæorum credentium sententia fuerit Gentiles conversos Legalium jugo teneri, à qua ægrè, nec sinè schismate, oborta Cherinthianorum Hæresi, recessere; dubitari nequit, retenta in nova Ecclesia, quæ retineri poterant absquè veritatis Christianæ præjudicio, Gentilibus ipsis observanda, uti civilem Judaicam formam retineri potuisse nullus jure inficias ibit, cùm quod Gentilibus non licere tandèm est agnitum, Apostoli ipsi sibi, & Judæis credentibus licuisse, etiam in cæremonialibus facto multiplici ostenderint antè, & post Hierosolymitanæ Synodi definitionem.

XII. Sanè in ea Orbis parte ubi frequentissimi Judæi degebant, Judæorum quàm maximè rationem habitam adeò certum est, ut nil certiùs sit in tota Canonicorum Librorum Historia. Servatus constantissimè mos annunciandi Evangelium Judæis primùm, indè Gentibus, non modò Petro, qui speciali quodam nomine Apostolus Circuncisionis dicebatur, sed & Coapostolo ejusdem Paulo, vocato, *ut ferret nomen Christi*

inter

inter Gentes. Is Syriæ, Ciliciæ, Licaoniæ, Asiæ, Græciæ, Macedoniæ Urbes peragrans, omnium primos Judæos quærit, quos instruat, nec nisi illis refragantibus, ad Gentes convertitur. Urbes illas ubi Christum prædicet deligit, in quibus frequentiores Judæi, quorum primò Synagogas intrat, de adimpleta repromissione monet, conversisque Presbyteros præficit. Juvat paululùm in his immorari. Post Antiochenæ Ecclesiæ primordia indicata, & Herodis mortem narratam, Act. cap. 13. Paulus, & Barnabas dicuntur in opus, ad quod assumpti erant segregati, & per jejunium, orationem, ac manuum impositionem ordinati. Missi itàque à Spiritu Sancto venere Seleuciam, indè navigaverunt Cyprum. Insulæ illi, quæ Provincia à Cilicia, & Syria separata fuerit, Sergium Paulum non Prætorem, sed Proconsulem Jus dixisse, nemo jure in dubium vertet; etenim cap. p. adnotatum est ex Dione usquè ab Augusti Ævo, Cyprum, quam ille sibi retinuerat Senatui redditam; quarè, quæ Stràbone lib. 14. scribente Prætoria fuerat, postmodùm Proconsularis est facta. Ejus rei prætèr Dionem, testem habemus Claudii Nummum apud Vaillantium

tium, in cujus aversa parte legere est ΕΠΙ. ΚΟΜΥΝΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥ. *sub Cominio Proclo Proconsule*, & in ambitu ΚΥΠΡΙΩΝ. *Cypriorum*. Ex quindecim Cypri Urbibus Plinio lib. 5. cap. 31. laudatis, ullam Metropolis nomine illustrem per ea, de quibus agimus, tempora, invenire difficillimum puto. Insulam Paphiæ Veneri sacram novimus, quod in causa esse puto, cur Plinius quindecim Urbes recensens Paphum primo loco laudet, eamque propterea insigni inter cæteras dignitate habitam puto. Salaminam, quæ posteriori ævo Metropolis evasit, Plinius ipse sexto loco numerat. Sergius Paulus Cypri Proconsul à D. Paulo convenitur non Salaminæ, sed Paphi. Hæc argumento essent Paphum potiùs, quàm Salaminam Cypri Metropolim civilem, si communis sententiæ hypothesibus assentirer; verùm incerta omnia. Certum illud, ac indubitatum est principes in ea Insula Sedes Salaminæ Judæos habuisse, & Paulum primùm Salaminam venisse, ac *prædicasse Verbum Dei in Synagogis*, indè perambulasse *universam Insulam, usquè in Paphum*; etenim hæc Lucæ Act. 13. narrantur. Ac Salaminæ quidèm Judæos habitasse frequentes ex eo constat,

ſtat, quòd Euſebius in Chronico Canone, ad poſtremum Trajani annum narrat, & cum Euſebio alii; *Salaminam Cypri, interfectis in ea Gentilibus, à Judæis ſubverſam.* Qui igitur certi ſumus Paulum Verbum Dei prædicantem ab ea Cypri Urbe cæpiſſe, ubì plures Judæorum Synagogæ erant, incerti autem, an in forma civili Romanorum, tunc temporis ulla Inſulæ Metropolis foret, certioribus utique inſiſtemus, ſi Paulum dicamus ibì principem Inſulæ Eccleſiam conſtituiſſe, ubì frequentiùs, & illuſtriùs Judæos habitare, ſuiſque legibus uti, reperit, quàm ſi eundem civilem Gentilium formam ſecutum aſſeramus. At ſi, quod celeberrimus Vir voluit, ad Ciliciæ Proconſulem Cypri Inſula ſpectaſſet, hæc Ciliciæ Metropoli civili ſubjecta fuiſſet; itàque ſi Apoſtoli in principibus Eccleſiis conſtituendis Romanam formam ſecuti eſſent, Salaminæ Metropolis, ex primæva inſtitutione, Tarſo, tanquàm Exarchæ ſedi, paruiſſet, quod nec ille, nec ullus dabit. Sed nec ab Antiocheno, ut volunt, Syriæ Proprætore, Cypri Proconſulem dependiſſe, quiſquam probabit, cùm Cyprus Senatus Provincia, Syria autèm Auguſti fuerit. Mirum

rum autèm id argumenti minimè allatum in Ephesina Synodo à Zenone Episcopo, ut αὐτοκέφαλος declararetur, sed & tùnc, & postmodùm cùm S. Barnabæ Corpus inventum est, id deductum, quòd ordinatio nullius Episcopi in Insula à quoquam extrà Insulam facta fuisset, & quòd eadem Salaminensis Apostolica esset Ecclesia. At quid agent doctissimi Viri, qui cùm statuant Ecclesias ad normam civilis politiæ ab Apostolis constitutas, ajunt tamèn ab initio, & Cyprium Metropolitam, & Asiæ Exarchos Antiocheno Episcopo subjectos; cùm certum sit, & Asiam, & Cyprum Senatus, Antiochiam verò seù Syriam Augusti fuisse, ac proindè nullo modo illas ab hoc dependisse. Videatur tamèn Morinus Exercit. lib. 1. Exercit. 4. & sequ. At Pauli, & Barnabæ iter κατὰ πόδα sequamur. Papho discedentes maritimo itinere in Pamphiliam transmisere Antiochiam indè Pisidiæ intrarunt, & *ingressi*, inquit Lucas, *Synagogam die Sabbatorum*, *sederunt*, & Paulus ab Archisynagogo invitatus, *manu silentium indicens*, *sermonem* habuit, quem si legas, videas Apostolum totum in id incumbere, ut adstruat, Verbum vitæ Judæorum causa in-

pri-

primis missum. Contranitentibus autèm eorum plurimis, tùm *constantèr Paulus, & Barnabas dixerunt; vobis oportebat primùm loqui Verbum Dei; sed quoniàm repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, eccè convertimur ad Gentes*. Quo facto conversis Gentilium plurimis *disseminabatur Verbum per universam Regionem*. Ejecti autèm de Pisidarum finibus, *excusso pulvere pedum in eos*, venerunt *Iconium*. *Factum est autèm in Iconio, ut simul introirent Synagogam Judæorum, & loquerentur, itaùt crederet Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo*. Indè turbarum causa fugientes *venerunt ad Civitatem Lycaoniæ, Listram, & Derben, & universam in circuitu regionem*. Lystris, Judæorum Antiochenorum, & Iconiensium odio lapidatus est Paulus (quod Synedrii in eo Tractu existentis indicium exhibet) qui postera die cum Barnaba Derben venit, cùmque ambo *evangelizassent Civitati illi, & docuissent multos, reversi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam Pisidiæ; & cùm constituissent discipulis per singulas Ecclesias Presbyteros*, tandèm Antiochiam Syriæ regressi sunt, *undè fuerant traditi Gratiæ Dei in opus quod compleverant*. Et hæc quidem antè exortam

Hæ-

Hæresim de Circuncisionis, & Legalium necessitate, & antè Hierosolymitanam de ea re Synodum, facta sunt.

XIII. Sunt autèm, quæ ex universa harum rerum serie certa mihi deducuntur, & primò Paulum Christi Verbum in Cypro, Pisidia, Lycaonia disseminantem, & apùd Judæos, & apùd Gentiles, Judæum se gesisse, quatenùs utrique agnoscerent, gratiam, quam prædicabat Synagogæ in primis promissam, cui Gentiles ipsi insererentur, ut ejusdem gratiæ participes fieri possent. Secundò ad Judæorum credentium numerum Ecclesias constitutas, ut cùm à Tractuum singulorum Synedriis per Christi Baptismum segregabantur, Christiana Synedria, quæ Presbyteria sunt dicta, haberent, & in quolibet Presbyterio, Principem, quem tamèn generali nomine Presbyterum, quomodò, & Judæorum non credentium Synedri vocabantur, & postmodùm Episcopum dixere; Ignatius ad Trallenses, vult, *ut Presbyteros revereantur* ὡς σύνεδριον Θεοῦ & ad Magnesianos ait, *in concordia Dei studete omnia operari præsidente Episcopo loco Dei*; καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποστόλων. Tertiò Ecclesias, & κατ' Ἐκκλησίας constitutos usquè

què ad id temporis Episcopos, ab Antiochena Ecclesia, ac Petro in ea sedente speciali Pauli, Barnabæque Ordinatione fluxisse. Docemur enìm utrumque ob eam rem ordinatum, missumque, utrumque etiam illùc undè discesserant *cùm venisset, & congregasset Ecclesiam, retulisse quanta fecisset Deus cum illis, & quià aperuisset Gentilibus ostium Fidei*. Quærant itàque, qui volunt ex civili Romanorum forma antiquissimas Metropolûm Origines; me juvat illas ex ipso Scripturæ sacræ fonte apertè narratas intelligere, & qui Hierosolymitanam earum Ecclesiarum Matrem vidi, quæ ex solis Judæis credentibus constabant; video nùnc Antiochenam extrà Terræ fines earum Matrem, quæ admissis ad felicitatem Judæis repromissam, Gentilibus, Petro ibidem Judæorum, & Gentilium Episcopo sedente, per successivam ordinationem à Paulo, & Barnaba in Cypro, in Pisidia, Lycaoniaque, constitutis κατ' Ἐκκλησίας Presbyteris, fundatæ sunt. Ejus autèm rei rationem nullo modo Petrus potuit à Provinciarum Typo accipere, nàm sicutì Cyprus, ut suprà ostensum est, ità Pisidia, ac Lycaonia ad Syriæ Proprætorem minimè pertinuerunt,

quandòquidem ex Plinio Hist. lib. 5. cap. 27. novimus Pisidiæ Oppida, Lycaoniæ Conventui attributa, & Lycaoniam ex parte, inter Asiaticos Conventus recensitam. Reliquum itàque est, ut sicutì in plurimis, etiam, quæ olìm mortifera futura erant, Apostoli, ut Judæi, judaicæ conversati sunt, sic & id fecerint in constituendis principibus Ecclesiis, & quod hìc agimus, Antiochiam Petrus cæteris ejus Tractus prætulerit, quià ibì illustriùs suis legibus, ac privilegiis utebantur Judæi, si Alexandriam excipias.

XIV. Quamvìs autem nil in tota sacrorum Librorum lectione habeatur, ex quo fundatæ Alexandrinæ Sedis notitia havriri possit; ex antiquissima tamèn Patrum, & Scriptorum traditione de ea re constat, sicùt & de singulari eo honore, quo abinitio Alexandrina Ecclesia emicuit intèr omnes, quas Judaico-Gentiles appellare placet. Porrò facilis ex Palæstina in Ægyptum Judæorum transitus, Judæorum in Ægypto degentium incredibilis multitudo, summa eorundem ergà Templum Hierosolymitanum religio, sicutì dubitandi non relinquit locum, plurimos ex Ægyptiis, Judæis abinitio, Fe-

sti

sti occasione Hierosolymis ubi Synagogæ Libycorum, & Cyrenensium, degentibus, Christo nomen dedisse; ità & penè certum sit post διασπορὰν Stephani necem subsecutam, eorundem plures, aliosque etiam Credentes in Ægyptum, & Cyrenem transmigrasse, & Christi Verbum statim ab initio disseminasse non modò Contribulibus, sed & Gentilibus. Cur enim, quod per Cyrenæos, qui primùm Gentibus Antiochiæ evangelizaverunt Verbum, alibì factum, ex Actibus Apostolorum novimus, non credamus, & in Ægypto peractum? Fateor ob insitum ergà Judæos Ægyptiorum Gentilium odium, ægrè horum animos, & seriùs, Fidei Christianæ veritate expugnatos; at nec ob id adduci possum ut credam, initia Alexandrinæ Ecclesiæ transferenda post Romanæ exordia, Petrique Romam adventum, quandòquidem hæc seriùs, quàm Eusebius tradiderat evenisse, certis argumentis compertum est. Clementem Alexandrinum refert Is Hist. lib. 2. cap. 5. narrantem Marcum Romanis petentibus, Evangelium scripsisse, quem Petrus probaverit; indè cap. 6. adjungit, *cæterum hunc*, Marcum, *in Ægyptum profectum, Evangelium, quod il-*

 le con-

le conscripserat primùm illic prædicasse perhibent, & in ipsa Urbe Alexandria Ecclesias constituisse; quæ quidem Hieronymo de Scrip. Eccles. in Marco transcripta ferè leguntur. At lib. 5. cap. 8. Irenæum refert, qui lib. 3. cap. 1. narrat Marcum μετὰ τὴν τούτων (Petri videlicet, ac Pauli) ἔξοδον, *quæ à Petro prædicata fuerant, perscripta tradidisse*. Post Petrine, & Pauli exitum Marcus Alexandrinam Ecclesiam fundaverit? Obstat omnium seculorum traditio, qua docemur Petro vivente, ac mittente, Marcum Alexandrinam Ecclesiam constituisse. Itàque scripserit Marcus Evangelium Romæ, vel ipso Petro vivente, scriptumque probante, quod ait Clemens, vel post Petri exitum, quod Irenæus narrat; nec ex Clemente, neque ex Irenæo consequitur, quod ait Eusebius, Marcum post conscriptum Evangelium, Alexandrinam Ecclesiam fundasse; idque Is ex ea hypothesi dixit, quod Petrus anno Claudii secundo Romam venerit. Cæterùm Eusebius ipse in Chronico Canone ad Claudii tertium Consulatum hæc habet; *Marcus Evangelista Ægyptiis, & Alexandrinis evangelizare Christi Verbum venit*. Epitome Chronicorum, sicut, & Chroni-

con

con Paſchale eodem anno primùm Antiochenam, deindè Alexandrinam Eccleſiam fundatam dicit; *eodem anno Marcus Evangeliſta Ægyptiis, & Alexandrinis evangelizare Chriſti Verbum venit, & Eccleſiæ apud ipſam Alexandriam fundatæ, primus Epiſcopus ſedit Annis XXII.* Quæ referenda puto ad annum Claudii ſextum, & multo tempore Evangelii ſcriptionem præceſiſſe, ſi velimus annumSedisMarci XXII.tenere; quandòquidem anno vulgari 68. Evangeliſtam Martyrio affectum, quo dies ejuſdem morti præcedens Dominica 29. Pharmuti, ſeù 24. Aprilis fuit, ex Actis conſtare aſſerunt doctiores Chronologi, quibus reliquenda arbitror, quæ hìc ad exactiorem Chronologiæ rationem ſpectant. Illud tanquàm veroſimillimum ajo, Petro Antiochiæ ſedente, cùm Alexandriæ Judæis, qui magno numero in Chriſtum crediderant, tandèm nonnulli Gentiles acceſſiſſent, celeberrimam omnium, quæ ex Judæis, & ex Gentilibus converſis conſtabant, Eccleſiam fundandi neceſſitatem emerſiſſe, Senatum videlicèt, ac Ethnarcham Chriſtianorum conſtituendi, quod Antiocheno illuſtriùs ſederet, ſicutì Judæorum non credentium

Ethnarcha Alexandrinus intèr omnes Judæos quomodòlibet ubivìs extrà Terram illustres præcedebat, ac ex Claudii Edicto eminebat. Nec enìm per ea tempora Æcmalotarcha Babylonius extabat, ut alibì ex Josepho ostensum est, & huic tempori minimè congruunt, quæ de Principe illo Captivitatis buccis inflatis crepant Magistri; qua de re videndus Morinus, qui fictitia usquequaquè contendit in Libro Juchasin de Principe illo narrata, lib.4. Exercit.4. cap.2. n.6. & seqq.

XV. Porrò priorem Ægypti Ecclesiam præ omnibus extrà Terræ fines fundatis, judaizasse, una est Veterum omnium narratio. Trita sunt, quæ ex Eusebio Hieronymus habet in libro de Scriptoribus Eccles. in Marco; *Philo*, inquit, *disertissimus Judæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhùc Judaizantem, quasì in laudem Gentis suæ Librum supèr eorum conversatione scripsit*. Nolim hìc ego celebrem illam de Essenorum Christianismo quæstionem, quam hìnc indè à Viris doctissimis tractatam scimus, rursùs agere. Illud ajo, esse, quæ suadeant probabilioribus satìs niti, qui affirmant, asseruntque Essenis Christianam professionem,

nem, at adhùc, ut ferebant rudiora initia, Judaicis moribus, & quibuſdam Græcæ Philoſophiæ placitis permixtam. Ex primis Alexandrinæ Eccleſiæ Diſcipulis, Apollo ille fuit, de quo in Actib. Lucas cap. 18. In eo autèm mihi videor videre Eccleſiæ illius antiquiſſimæ characterem, quæ ferveret quidèm in Chriſti fide, at Judaicis adeò inhæreret, ut & in Baptiſmi Chriſtiani veritate falleretur. Apollo ille his laudatur; *Hic erat edoctus viam Domini, & fervens Spiritu loquebatur, & docebat diligentèr ea, quæ ſunt Jeſu, ſciens tantùm Baptiſma Johannis.* Marcum Petri nomine Eccleſiam illam fundantem nullus dubito hæc emendaſſe, præſtitiſſeque, quod fecere Priſcilla, & Aquila, qui Apollum *aſſumpſerunt, & diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini*; quarè ſicut ille Judæus Alexandrinus natione, edoctus, *contulit multum his, qui crediderant, vehementèr enim Judæos revincebat publicè oſtendens per Scripturas, eſſe Chriſtum Jeſum*; ità, & Marco Doctore Alexandrina Eccleſia à Judaicis erroribus expurgata, intèr omnes Orientales celeberrima in Chriſti fide radiavit. Verùm rationi, & cæteris Apoſtolicæ Hiſtoriæ rebus conſentaneum eſt

credere, Ecclesiæ illi relicta ea omnia judaicorum morum, quæ citrà Christianæ Fidei præjudicium relinqui poterant. Retinendæ etenim in Christi fide Ecclesiæ majori ex parte Judæis constanti, & Credentium numero ex Circuncisis per Ægyptum, & Cyrenaicam augendo, id in primis conferre poterat. Et Alexandrinam quidèm Ecclesiam magna ex parte *à Marco ex Judæis potiùs, quàm Ægyptiis esse collectam* fatetur Baronius ad annum 64; tùm, quòd constet Ægyptios Judæis maximè infensos, tùm quòd Ægyptii suarum superstitionum essent tenacissimi; observatque Ecclesiam illam potuisse frequentissimam fuisse, etiàm si ex solis Judæis collecta extitisset, quod tamèn fuisse optimè negat, cùm nulla extrà Terram Ecclesia fundata sit, quìn Judæis Gentiles accesserint, id enim quòd fundaretur in causa fuit. Qui itàque, & frequentia, & Senatu, & Ethnarcha inter omnes dispersos extrà Terram Judæos, Ægyptii eminebant, frequentia, Presbyterio, Episcopoque, cæteris eminuisse est consentaneum; & sicuti Ethnarcha Ægypto toti non modò, sed & Lybiæ, & Cyrenaicæ regioni solus præerat, sic & Episcopus Alexandri-

nus

nus universis præesset. Ac indè sanè evidens est fluxisse quòd Alexandrinæ Ecclesiæ Pentapolis, & Lybia Mareotis subesset, quæ aliàs, ut suo loco demonstratum est, in civili forma non Ægypti, sed Africæ Provincia fuit Senatui relicta, undè Metropolis ejus insignis jurisdictio ab initio amplitudinem suam non à Gentilium Typo, se ab Ethnarchæ Judaici Jure, modum accepit. Ea in re mirari satis nequeo Virum cæteroquìn doctissimum de argumento scribentem, Ægyptum universam Africæ adscripsisse in amplissima ea; significatione, quam Geographorum esse asserit, quarè Petrum, qui Evropæ Romam, Asiæ Antiochiam; Africæ Alexandriam insignem Ecclesiam deputasse contendit, quamvìs, ut explicet *cur sex Africanæ Provinciæ à Patriarchatu Alexandrino avulsæ, Romano tributæ sint*, conjecturas deindè diligentiùs exquirat. Quid modò Geographi cogitent Petrus Alexandrinam fundans Ecclesiam minimè aspexit. Si suorum temporum Geographicum Systema, Strabonis, Ptolæmei, Plinii, Dionysii aspexisset, Ægyptum Asiæ, Cyrenem, Lybiamque Mareotim Africæ deputasset, ut civilis Romanarum Provinciarum for-

ma

ma ferebat. Ità si ad Provinciarum earundem ordinem Ecclesiarum prærogativas conformare voluisset, sicut Proprætores, Præfecto præstabant, ità Antiochiam Alexandriæ prætulisset. Alexandria autem Antiochiæ prætulit, quòd Judæorum Ethnarcha Ægyptius, Antiocheno illustriùs dominaretur, Pentapolim verò, quæ Africæ Provincia erat Alexandrino Episcopo subjiciendam censuit, quòd, & Alexandrino Ethnarchæ, Cyrenaici Judæi subjicerentur, & ex Ethnarchæ Judaici, qui unus omnium Judæorum in circumpositis Ægypti, Lybiæ Mareotis, & Pentapolis Provinciis degebant Principis forma, derivatum putò, quòd ab initio speciali quodam Jure præ cæteris Alexandrinus Episcopus omnium curam haberet, de quo Epiphanius hær. 68. *Hic enìm mos obtinet, ut Alexandriæ Episcopus, totius Ægypti, ac Thebaidis, Mareotæque, ac Lybiæ, Ammoniacæque, & Mareotidis, ac Pentapolis Ecclesiasticam habet administrationem.* Nec improbabile puto per plures annos etiàm post Apostolorum decessum id speciale Ægyptum habuisse, ut nullus in universa Ægypto, cæterisque Provinciis Alexandrino Episcopo subjectis Episcopus esset,

esset, sicuti, unus Alexandrinus omnium in iisdem Provinciis Ethnarcha fuerat. Et propterea non usquequàque reicienda puto, quæ narrantur in Chronico Alexandrino, ubi affirmat Eutichius, *ab Anania, quem constituit Marcus Evangelista Patriarcham Alexandriæ, usquè ad tempora Demetrii undecimi ibidem Patriarchæ, nullum in Ægypti Provinciis fuisse Episcopum, nec antè eum Patriarchas creasse Episcopos.*

XVI. Principum Judaico-Gentilium Ecclesiarum, Alexandrinæ videlicèt, & Antiochenæ, Origines satis, ut puto, ad Judaicam formam accessisse ex Petri institutione, ob ea, quæ usquè modò deducta sunt, apparet. Cæteras in Provinciis Judaici incolatus simili methodo ad Synedriorum Provincialium formam constitutas, ob easdem rationes existimandas, consequens fit; etenim ubique, & Judæorum Credentium præ Gentilibus rationem habitam video, & Apostolos quò ad licuit, etiam post Decreta Hierosolymitani Concilii, Judaica servasse, & eadem servandi Judæis facultatem minimè ademisse. Paulus Timotheum filium Mulieris Judææ fidelis, licèt Patre Gentili natum cicuncidit, *proptèr Judæos, qui erant in illis*

illis locis, & caput totondit in Cenchris, & facto calvitio oblationem obtulit in Hierusalem, & nudipedalia exercuit, quæ utiquè manifestissimè de Cæremoniis Judæorum sunt, ut Hieronymi verbis utar in Epist. ad Gal. cap.2. Ipse Gentium Apostolus ea de se ad Corinthios ait 1. cap. 9. *factus sum Judæis tanquàm Judæus, ut Judæos lucrarer*. Servatus ubique in ipsa Hierosolymorum Synodo Mosaycæ Legi suus decor, quamvìs Gentiles ab ejus jugo eximerentur; id enìm Jacobus significavit Act. cap. 15. per ea; *proptèr quod ego judico non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, &c. Moyses enìm à temporibus antiquis habet in singulis Civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubì per omne sabbatum legitur*. Epistolæ omnes in novi Testamenti Canonem relatæ, Gentilibus quidèm etiam, sed in primìs Judæis datæ sunt. Illæ, quæ Petrum, vel Jacobum Avctorem habent, Judæis inscribuntur, quos ut fratres agnoscunt, dùm Judaico more exprimunt scribentes se, non ex voluntate transfugis, sed majore vi urgente, extrà Terram dispersis, id officii præstare; *Petrus Apostolus Jesu Christi electis Advenis dispersionis, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ,*

Asiæ, & Bythiniæ; Jacobus Dei, & Domini Nostri Jesu Christi servus duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione salutem. Nec enìm otiosè dispersionis in his meminere Apostolorum eximii, sed ut Judæis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bythiniæ Jus fratrum competere indicarent, quo legitimè, & extrà Terram prò more privilegiis gauderent, ac intèr cætera id haberent, ut in quolibet Tractu, ubì frequentiori numero degerent, Presbyterio, & Episcopo gauderent. Prætèr Provincias in laudatis Epistolarum inscriptionibus numeratas, & earundem Ecclesias, post Hierosolymorum Synodum fundatas, novimus (Paulo in primìs minimè, ut anteà, tanquàm Antiochenæ Sedis Ministro, sed ut Præputii Apostolo; id enim statutum Hierosolymis narrat ipse Epist. ad Galatas cap. 2.) in Macedonia Philippis, Thessalonicæ, & Berœæ, de quibus in Act. cap. 16. & 17. similitèr Athenis, & Corinthi in Ellade, & Achaja, de quibus cap. sequ. Cùm autem Lucas Paulum primò Judæis evangelizantem in Synagogis exhibeat; illud in primìs in Corinthiorum conversione notare operæ pretium est, quòd ad Gallionem Achajæ Proconsulem con-

concurrentibus in Paulum Judæis, Gallio ipse respondit; *si quidèm esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ò viri Judæi, rectè vos sustinerem; si verò quæstiones de verbo, & nominibus Legis vestræ, vos ipsi videritis: Judex ego horum nolo esse*. De Legis itàque quæstionibus, & de cultu, à Lege, ut existimabant, aberrante, cognoscendi, Corinthi Judæis facultas erat, quod ipsum Synedrii Provincialis apertissimum indicium est, in cujus potestatis executionem *apprehendentes Judæi Sosthenem Principem Synagogæ percutiebant eum antè Tribunal, & nihil eorum Gallioni cura erat*. Idcircò & ibi Synedrium universæ Achajæ Christianum constitutum, apparet ex Pauli Epistolis ad Corinthios ut p. cap. 5. *non ne de iis, quæ intùs sunt vos judicatis?* & cap. sequenti de iis, qui, ut quidèm puto, apud Judæorum non credentium Synedrium, judicari malebant; *audet aliquis vestrum habens negotium adversùs alterum judicari apud iniquos ἐπὶ τῶν ἀδίκων, & non apud Sanctos?* cum his, quæ sequuntur. Nec tamen Corinthiaci tantùm Synedrii Judaici inditia ex Sacro Codice habemus, sed & aliorum; etenim ex duobus suppliciorum, quæ reis infligi solebant, generibus,

bus, lapidum unum, virgarum alterum, prius Judæorum fuit, alterum, & Romanorum, ſed non Civi Romano infligendum. Paulus itàque, qui 2. Cor. cap. 11. hæc de ſe ait, *à Judæis quinquies quadragenas una minùs accepi; tèr virgis cæſus ſum, ſemèl lapidatus ſum*, quique ne à Romanis Magiſtratribus cæderetur, Civis Romani privilegio, & exceptione non ſemèl ſe tueri potuit; ſatìs oſtendit, ea ſe ex Judaicorum in Provinciis Synedriorum ſententia, utì Judæum paſſum, & Synedria ipſa extitiſſe indicat. At hæc in Aſia potiſſimùm eveniſſe aliundè conſtat, etenim Act. cap. 14. Paulus in Lycaonia Antiochenis, & Iconienſibus Judæis id urgentibus lapidatus narratur. Ubìnam autèm à Judæis quinquies quadragenas acceperit una minus, licèt incertum videatur, ex tempore tamen, quo ea ſcripta eſt Epiſtola (de qua re videatur Baronius ad annum 55.) facilè agnoſci poteſt, & certum fit in Aſiæ Synedrio extrà Terræ fines conſtituto id decretum. Plura indicat Paulus ipſe Epheſi ſe paſſum *ob inſidias Judæorum* Epheſiorum, Presbyteros Mileti alloquens Act. cap. 20. Diutiùs etiàm eundem Epheſi moratum docemur poſtquàm,

quos

quos Apollo Johannis Baptiſmate initiaverat, ipſe *baptizavit in nomine Domini Jeſu*; etenìm *introgreſſus Synagogam cum fiducia loquebatur per tres menſes*; indè cùm *quidam indurarentur diſcedens ab eis, ſegregavit diſcipulos, quotidiè diſputans in ſchola Tyranni cujuſdam. Quod quidèm factum eſt per biennium, itaùt omnes, qui habitabant in Aſia audirent Verbum Domini Judæi, atque Gentiles*. Veriſſimè itàque Baronius loco laudato ex his omnibus arguit plura Epheſi, ob Judæorum odium, Paulo illata, quæ Lucas ſilentio obuolvit, quæque tamèn indicare nequeunt Paulum Beſtiis objectum, ut ex Apocryphis, Nicephorus putavit, quandòquidem cum Tertulliano, & Chryſoſtomo de Judæis intelligenda cenſet, quæ Paulus ipſe 1. Cor. cap. 15. ait; *ſi ſecundùm hominem ad Beſtias pugnavi Epheſi* &c. At pugnæ hujuſmodi indicio Paulum Synedrio reſpondentem intelligo, & ex ejus decreto flagellis cæſum; quod aptè accidiſſe ἐν ταῖς ἐπιβȣλαῖς *Judæorum*, Judæis videlicèt ἐκ βȣλῆς, & conſilio habito inſidias ſtruentibus.

XVII. Cæterùm, quæ in Aſia Proconſulari civilis politia, quid Metropoles, Primæque, capite hujus Diſſertationis priori ſatìs oſten-

ostensum est; ut constet minimè potuisse ad Metropolûm formam, primarum sedium initia conformari; & consequatur, ex eo solùm factum, ut alicùbi Ecclesiæ fundarentur circumpositarum Matres, & Capita, quòd Apostoli ex Judæis Christiani, suorum in primis rationem habendam existimaverint, & ubì eosdem frequentiùs habitare compererunt, circumpositisque Tractibus Judaicæ Legis usu prospicientes, ibì Juris Apostolici Sedes figerent, quod Posteri Metropolitanum dixere. In forma Romanarum Provinciarum, quæ Apostolorum ævo obtinebat, Asiæ Proconsularis Diœceses novem numerat Plinius, & decimam, Iconio laudato, adjicit. Primis tamèn Apocalipseos capitibus, quinque duntaxàt Urbes laudantur ubì Episcopi sint constituti ex illis, quæ Conventuum civilium capita Plinio narrantur; duæ Thyatira, ac Philadelphia in forma civili ad Sardianum Conventum spectavere; Synnadensis, Apameensis, Alabadensis, & Adramitteni Conventus nulla ratio habita est. Iconium cum cæteris Lycaoniæ, Pisidiæque primis Ecclesiis, Antiochenæ potiùs Sedi ab initio subjectum videri, in superioribus adnotavi. Laodicea,

dicea, Colossæ, Hierapolis unum velutì ejusdem Ecclesiæ Corpus indicantur à Paulo postremis Epist. ad Colossenses verbis; Epaphram enim laudat, *quòd*, inquit, *habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli*; adiicit statìm, *& cùm lecta fuerit apùd vos Epistola hæc, facite, ut in Laodicensium Ecclesia legatur, & ea, quæ Laodicensium est, ut vobis legatur*; in quibus Colossensium Ecclesia Laodicenæ præponi quodammodò videtur. At ex Plinio Laodicea celeberrimum Cybiriticum Conventum habuit, Colossæ ignobiles. Frequentes tamèn ibidèm Judæos habitasse, Paulus in laudata Epistola apertè indicat ea scribens; *nemo ergò vos judicet in cibo, aùt in parte diei festi, aùt Sabbatorum*; nec ob id tamèn Laodicenis scripta existimanda est, quæ ad Ephesios, licèt eo nomine citetur à Tertulliano adversùs Marcionem lib. 5. cap. 11., & ab Epiphanio hær. 42. quandòquidèm ex ipso Epistolæ contextu Ephesiis scripta apparet, & eisdem inscribitur; *Omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & Fidelibus in Christo Jesu*. Cæterùm si reliqua deessent, quantùm ab initio Asiæ Ecclesiæ Judaicæ disciplinæ adhæserint, satìs ostenderent acer-

rìmæ

rimæ de Paſchate controverſiæ ipſis Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi, qui Apoſtolorum Diſcipulus fuit, temporibus exortæ; undè conjicere liceat eò magis in fundandis principibus Eccleſiis Judæorum potiſſimùm rationem habuiſſe Apoſtolos, quòd id ad figuras, & cæremonialia, quæ ceſſaſſent referri minimè poſſent, uti referendum erat, quòd Paſcha, ipſa quartadecima celebraretur. Ex his, aliiſque hujuſmodi ad Aſiæ Eccleſias potiſſimùm ſpectantibus, agnitum Doctiſſimis Viris Apoſtolos ad Judaicæ formæ exemplar Eccleſias fundaſſe. Illud non probandum, quòd ab Synagogarum Præſidum avctoritate, Epiſcoporum Jura metiuntur. *Quidam ità diſtinguunt*, inquit Jacobus Gothofredus ad leg. 2. de Jud. Cœl., & Sam. Codic. Theodoſ. *Archiſynagogos Principes fuiſſe Synagogarum omnium totius Provinciæ haùd alitèr, atque Archiepiſcopi totius Provinciæ Principes, & Exarchæ, nàm Judaicam Eccleſiam imitata eſt Chriſtiana*. At verum conſequens ex falſo præmiſſo elicitur; Archyſinagogi etenìm Provinciarum omninò ignoti, ſicùt & Patriarchæ Provinciarum. Samuel ipſe Petitus, qui hoc aſſerverat, ſententiam alibì retra-

ctat in variis Observat. ubi de recentiori Judaica disciplina agit. Judiciale illud, quod Presbyteriis, & Episcopo ex Apostolorum institutione traditum est, in Ecclesiam, cum verò Jure Majestatis divinæ à Judaica Republica translatum, non in Archisynagogis anteà, sed in Synedriis, & in Synedriorum Principibus resederat. Hìnc malè ex plurimis in eadem Urbe Archisynagogis, plures ibidèm ab initio constituti Episcopi asseruntur; & si quid ei rei in speciem adstruendæ ex novi Testamenti Libris afferatur, advertendum esse dudùm monuit Chrysostomus in Epist. ad Philipp. nomina Episcopi, & Presbyteri, sed & Diaconi, Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus fuisse communia, & promiscuè usurpata, licèt promiscua non essent officia.

XVIII. At de Judaico-Gentilium Ecclesiarum initiis, quas secunda fermè Apostolici Ævi periodo Apostoli fundaverunt, satìs usquè modò actum est. Nùnc ad alteram Orbis partem, cujus tertia ejusdem ætatis periodo ratio tandèm potissimùm habita, est, transeundum. Scilicèt fieri oportebat quod Christus Passionis suæ imminente tempore Patrem rogaverat Joh. 17. Rogaverat

rat autèm primùm, ut quos elegerat, Apostoli videlicèt, unum essent; *Pater Sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut, & Nos*; indè, ut quicumque credituri erant Judæi scilicèt, ac Gentiles unum essent, rogavit; *non pro eis autem rogo tantùm, sed, & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicùt tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat Mundus, quià tu me misisti*. Summus omnium Pontifex Christus, in quo, translato *Sacerdotio*, & *Regno*, omnia unum sunt, cui videlicèt Pater *potestatem dederat omnis Carnis*, quique ad Legem non solvendam, sed adimplendam venerat, unitatem Ecclesiæ, quam Judæi servaverant constituto Hierosolymis ejusdem centro, proùt superiori capite ostensum est, servandam non modò voluit in Apostolorum Collegio, cujus Caput Petrum constituit, sed & in nova Ecclesia, quæ idem unitatis Centrum visibile in Petro haberet, quem Christus ipse, in quo omnes unum sunt, petram constituerat, super quam Ecclesiam fundaret, non ut anteà, ex solis Judæis, sed ex Judæis, & ex Gentilibus congregandam; quod quidèm Deo possibile, quamvìs hominibus

utì Celſo apud Orig. lib. 8. videretur *impoſſibile; ut Europæ, Aſiæ, Africæque Gentes tàm Græcè, quàm Barbaræ in unum aliquandò conſentirent*. At cùm Romani Orbis pars altera Gentilibus tantùm habitata tandèm annectenda eſſet parti illi, quæ Judæos incolas, ſuiſque Legibus viventes habebat, Hieruſalem inepta evaſit, in qua unitatis centrum perſeveraret; quippè quæ Judæorum tantùm, & poſt Chriſti mortem dùm ſtetit, Metropolis fuit. Altera itàque Orbis utriuſque eligi debuit Urbs, quæ celebritatis, ſitus, & Incolarum ratione apta eſſet, utrique parieti in Chriſto connectendo. Nec alia porrò, Romana aptior. Ea medio ferè in utriuſque Orbis in Chriſto uniendi confinio ſita, ea ſuperſtitionis Gentilitiæ Centrum, ea Una partis alterius Judæis frequentibus habitata. Itàque Romæ tantùm Petrus omnium Chriſtianorum, tùm ex Circumciſione, tùm ex Præputio credentium Caput ſedere debuit Epiſcopus, & Romæ itèm tantùm ſpeciali eo Jure, quod primò Metropoliticum, indè Patriarchale, dixerunt, præſidere. Primùm quidèm, quià Romæ omnia habebantur, ob quæ, & Gentilium, & Judæorum ſaluti proſpiceretur;
Secun-

Secundùm quià Metropoliticum ex Judaismo fluens ex ea Urbe accipi debebat, ubì frequentes Judæi; cùm alibi, vel rarus, vel nullus eorum degeret. Ob hæc Apostolorum, & Ecclesiæ Princeps uterque Circuncisionis prior, Præputii alter, fundandæ illi Ecclesiæ assymbolam contulere, in qua præclariùs, quàm alibì Lapis ille angularis faceret utraque unum, & Synagoga cum Gentibus in unum Ovile associaretur. Petrus tamen, quòd quamvìs Gentilium, Judæorum, specialiùs nihilominùs Apostolus esset, Hierarchici characteris solus initium extitit, tùm pro tota Ecclesia, tùm pro ejusdem parte illa, in qua ex Gentilibus ferè congreganda, Roma Judæis frequentiùs habitata, intèr omnes præferenda ab initio enituit. Quarè licet ambo, & Coapostoli, & Coëpiscopi Romæ fuerint, utriusque tamèn verticis jura à Petro tantùm in successores Romanos Pontifices sunt transmissa. *Ad Dei etenìm cultum*, quod ajebat Magnus Gregorius Homil. 22. in Evang. *prior est Synagoga, quàm Ecclesia Gentium*, & Gentium Apostolo, Judæorum Apostolus τῆ πρεσβείας ratione, præcedebat. Ut autèm de Jure eo, quo à nascentis Ecclesiæ primordiis Romana Sedes specialiùs Oc-

cidenti præfuit, loquamur, ex uſquè modò deductis ratio fluit, quòd nullam noverint antiqui Pontifices, præter Romanam, primam Sedem à Petro, Pauloque fundatam in ea Imperii Romani parte, quæ Gentiles tantùm Incolas habuit, quià nullibì, ſi Romam excipias, Metropolitici Juris forma ex Judaico typo haberi potuit. Ob id Eccleſiæ omnes temporis progreſſu à Petro, & Paulo, eorumve Succeſſoribus fundatæ, Romanam, uti Matrem agnovere, quod Innocentius primus Epiſt. ad Decentium Eugubinum aſſeruit, hæc ſcribens; *legant ſi in his Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legant, quià nuſquàm invenitur, oportet eos hoc ſequi, quod Romana Eccleſia cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt*, cum cæteris quæ ſequuntur.

XIX. Obſervari autem meretur quàm diverſa methodo tertia illa Apoſtolici Ævi periodo, de qua nunc agimus, Eccleſiæ Occidentis fundatæ ſint, ab ea, qua Orientis conſtitutæ fuerant, ſecunda. Etenìm cùm ſecunda, Apoſtoli Judæorum in primìs rationem habuerint, ac ob id extrà Terram Epiſcopos, qui certæ Eccleſiæ præſiderent,

non

non creaverint, nisi ubi Gentiles ad fidem conversi accessissent; in tertia cùm nulla alia ratione Synagoga Gentibus præferri posset, quàm Romam, in qua plures Judæi vivebant præeligendo, in cæteris constituendarum Sedium nulla ratio ex Judaica forma suppetebat, cùm nullum in Occidente Synedrium provinciale esset, ubì, accedentibus ex Gentilitate credentibus, primæ Tractuum Singulorum Sedes erigerentur. In Oriente proindè Judæi conversi formam constituendarum Ecclesiarum præmonstrabant, ut constituerentur Gentiles conversi efficiebant; in Occidente Romana Sede constituta, nullus Judæorum converti poterant, cùm nullus esset, Gentiles verò ubicumquè converterentur ad Romanam, in qua una Judaica forma reperiebatur, accedebant. Ideò constituendorum Episcoporum ratio unica esse poterat, quòd Gentiles converterentur, quibus conversis, unus præsideret, quem Romanus Episcopus Gentilium convertendorum causa misisset. Constat proindè in Alexandrina, Antiochena, cæterisque ubì Judæorum ratio haberi potuit, nullum, quem sciamus Episcopum constitutum, nisi postquàm ex pluri-

bus

busad fidem conversis Ecclesia coalvisset; at in Ecclesiis ex Gentibus tantùm fundandis, Petrum, Successoresque Pontifices priores, id servasse, ut Episcopi crearentur antequàm Gentiles, quibus illi præesse debebant, converterentur. Id ex veteribus, & sincerioribus Ecclesiarum monumentis liquidò constat. Missi sunt plures Episcopali charactere insigniti à Petro, & Successoribus in Italiæ, Hispaniarum, Britanniæ, Africæ, Galliarum Regiones, qui Ecclesias sibi constituerent, Gentilibus ad veritatis lumen conversis. Ità in Oriente ubi Iudæi frequentes degebant, conversis ex Circuncisione, & ex Præputio dati sunt Episcopi; in Occidente, ubi Judæi, vel rari, vel eorum nullus, Episcopi creati, qui Gentiles converterent. Ibì Ecclesiæ Episcopos receperunt, hìc Episcopi, quas regerent Ecclesias fundarunt. Ordinatos propterea primis Ecclesiæ temporibus in Occidente non modò certæ Gentis, quæ in fide erudiri deberet, sed etiam creatos non certæ Gentis, nec certæ Regionis Episcopos novimus, qui Gentibus prædicantes, ubì consisterent ibì certam sibi Sedem fundarent. Ejus rei, & post Apostolica tempora in moribus positæ, & ab

ab Apoſtolis procùl dubio fluentis, certum documentum exhibet Photius in Bibliothec. Codic. 48. ubi narratur Cajus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, Victore, & Zephirino ſedentibus, Gentium Epiſcopus ordinatus, quem cenſuere χειροτονηθῆναι ἐθνῶν ἐπίσκοπον. Id nempè ab initio obtinuerat, ut hujuſmodi Evangelii Emiſſariis, Orbis Gentilium ad Chriſtum converteretur, qui Romanæ Sedis tanquàm Metropolis Colonias fundarent in Occidente, de quibus Innocentius loco laudato.

XX. Ex eo autèm quòd Romani Imperii Provinciæ Religionis intuitu bifariam diſtinguerentur, & pars una Judæis credentibus, altera Gentilibus habitaretur ad fidem convertendis, & cùm ob eandem rationem illa plures Metropoles ab initio habuerit, hæc unam, Romanam videlicèt, diverſaque omninò methodo Eccleſiæ, utriuſque partis ſint conſtitutæ; indè ortam arbitror ipſa tertia Apoſtolici ævi periodo, celebrem illam Orientalium, & Occidentalium Eccleſiarum diſtinctionem, quam recentiorem multò efficiant oportet, qui eandèm Imperii Romani formæ acceptam referre non dubitant. Quid quid enìm ſit de Geographorum ſen-

ſenſu, qui Orientem ab Occidente diſtinxerint, quidquid de deſignata ob Caracallæ, & Getæ odia, Orbis Romani diviſione Herodiano indicata; omnis Occidentis, & Orientis, pro quæſtionis argumento, acceptio, duplex tantùm eſt, Eccleſiaſtica videlicèt, & Politica. Politica Imperii in Orientale, & Occidentale diviſio antiquiſſima ea eſt, quæ Conſtantio, & Galerio Avctoribus, circà quarti Seculi Chriſtiani initia facta fuit, qua de re ſcripſit celeberrimus Petrus de Marca Concord. Sacerd. & Imper. lib. 1. cap. 4. n. 4. Euſebius Hiſt. lib. 8. cap. 13. narrata Diocletiani, & Herculii abdicatione ait: *Vix hæc geſta fuerant, cùm Imperium Romanum totum in duas partes diviſum eſt, quod quidèm nunquàm anteà factum eſſe memoratur*. Primam hanc Imperii diviſionem pluribus firmat Valeſius in notis, ubì ea Oroſii affert: *Galerius, & Conſtantinus Auguſti, primi Imperium Romanum in duas partes determinaverunt*; & illa Porphirii in Panegyrico carmine ad Conſtantinum

——————— lacerata cruentis
Imperiis pars feſſa Poli, diviſa gemebat
Sceptra, ac Auſoniæ merebat perdita jura.

& quæ paulò poſt ad Conſtantinum,

Et

Et reparata jugans mæſti divortia Mundi
Orbes junge pares: det leges Roma volentes
Principe te in Populos. ——————

quæ Pagius in rem ſuam tranſtulit Differt. Hypat. par.2. cap.1. Quandòquidem igitur certis argumentis conſtat Orientalem Eccleſiam ab Occidentali in multis diverſam uſquè ab Apoſtolorum temporibus; reliquum eſt, ut jura Hierarchicà præcipua minimè ab Imperii Archetypo manaverint, ſed ob jam allatas cauſas Apoſtolis Auctoribus ab initio ſteterint. Clemens Romanus Apoſtolorum ſynchronus Epiſt. ad Corinth. hæc de Paulo ſcribebat; *Paulus proptèr æmulationem in vincula ſepties conjectus, verberibus cæſus, lapidatus, patientiæ premium reportavit, & in Oriente, & Occidente Verbi preco factus, illuſtrem fidei ſuæ famam ſortitus eſt, in juſtitia Mundum univerſum inſtruens, & ad Occidentis terminos veniens, & ſub Imperatoribus martyrium ſubiens.* Orientis, & Occidentis hæc antiquiſſima diſtinctio eſt apud Eccleſiaſticum Scriptorem, qui, & vetuſtatis ſacro decore, & Romanæ Sedis primatu commendatur. Non potuit tamèn illam ex Romani Imperii in Orientale, & Occidentale diſtinctione accepiſſe,

quæ

quæ non nisi post duo secula fieri debebat; eam itàque ex Ecclesiastico, qui tunc obtinebat Typo accepisse, consequens est. Sed & Occidentis terminos Italiam, & Romam in primis intellectam, quæ mediæ ferè Occidentalem ab Orientali Ecclesia disterminant, nullus ambigo, qui videam de loco sermonem esse ubi Paulus *sub Imperatoribus martyrium subiit*. Fateor rara apùd trium priorum seculorum Scriptores Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ mentio; at de vocibus hìc non est quæstio, sed de rebus, ajoque re ipsa, quamvìs minimè nominibus distinctas Ecclesias ex Gentilibus sub Romana collectas, ab aliis in prima, ac secunda ferè Apostolici Ævi periodo, vel ex solis Judæis, vel ex Judæis apprimè, Gentilibus accedentibus, congregatis. Distinctionis hujusmodi primum argumentum est, quòd inter Judaico-Gentiles Ecclesias ab initio plures aliarum veluti Matres fuerint; cæteræ Orbis illius, ubi Gentiles tantùm, unam Romanam utì Matrem agnoverint, nec nisi seriùs plures Metropoles habere cæperint. Sicùt autèm quòd plures habuerit Metropoles ab initio Orientalis Ecclesia ex Judaica forma fluxit, sic & alia ex eodem fonte manarunt

runt, ob quæ asserta distinctio firmatur, quorùm nonnulla hìc adnotare operæ pretium est. Perseverasse diutiùs, quod qui ex Circuncisione convertebantur possent Mosaica etiam cæremonialia observare, dummodò ea saluti necessaria minimè crederent, vidimus suprà ex Justini Dialogo contrà Triphonem, & Origenis lib.2. contrà Celsum, quìn & usque ad Augustini tempora saltèm, obtinuisse apùd Græcos, ut quod de sanguine, & suffocato in Hierosolymitana Synodo statutum fuerat obsevaretur, pluribus Annalium Pater ostendit, loco in superioribus laudato. Nil horum in Ecclesiis ex solis Gentilibus congregatis toleratum, vel admissum res ipsa clamat, cùm ab initio ea respectivè vel permissa Judæis, vel præscripta Gentilibus, qui convertebantur, ut ostenderetur Judæorum, ubì frequentes degebant, rationem habitam, quod in Ecclesiis Occidentalibus urgere minimè poterat. Quæ de Paschate exarserunt controversiæ Victoris Romani Pontificis ævo, Orientalem in primìs Ecclesiam afflixerunt, ex Judaica Quartæ decimæ Observatione pendentes, à qua Occidentalis sempèr abierat; & quamvis rem præ omnibus

bus turbaverint Asiæ Proconsularis, & vicinarum regionum Episcopi, Dominico tamèn diei stabiliendo Alexandrina, Antiochena, Pontica, nec non Hierosolymitana, & Cæsareensis Ecclesia laboravit, quòd & ibidem essent, qui quartedecimæ Pascha retinerent. Nec per tria priora secula cessasse apud Orientales de Paschate quæstiones, ostendunt, quæ in Nicæna Synodo super eam rem sunt constituta. Scio Palæstinæ Episcopos apùd Eusebium Hist. lib. 5. cap. 25. in Synodica de *traditione diei Paschalis, quæ jam indè ab Apostolis ad ipsos continua successione manaverat*, multa disservisse, assertumque eadem die Pascha celebratum tùm in Palæstina, tùm Alexandriæ; at licèt potuerint illi quod de Apostolica traditione scribebant, verum censere, verum tamèn fuisse id ut minimè credam efficiunt, quæ de Hierosolymitana Ecclesia dùm Urbs, & Hierusalem, Episcopique ex Circuncisione steterunt, ex Eusebio ipso adnotavimus. Ipso Neroniani Imperii initio Jacobus Hierosolymorum Episcopus, cum collectis Senioribus, Paulo dicebat; *vides frater quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt Legis*. Act. cap. 21., suadebat-

batque, ut ea ageret, ex quibus agnoſcerent Paulum Legem cuſtodire, quæ & egit. Nullus itàque credam in Palæſtina ex Apoſtolica traditione deſcendiſſe, ut alia die Paſcha celebraretur, quàm Judaica; ſed nec Alexandriæ, vel Antiochiæ aliud ſervatum cenſeam, quàm quod ferebat Judæorum credentium frequentia.

XXI. Prætêr cæremonialia Orientali Eccleſiæ Apoſtolorum ævo paſsìm ſervata, ac præcipuè Quartædecimæ paſchalis juxtà Judæos celebrationem, ob quæ conſtat Orientalem ipſam ab Occidentali certis characteribus diſtinctam fuiſſe, alia ſunt, quæ eidem diſtinctioni adſtruendæ ex veterum Scriptorum monumentis ſuppetunt. Nec enim dubitari poteſt primis Eccleſiæ ſeculis, qui politicam Imperii diviſionem præceſſere, mores, rituſque, diverſos admodùm ab Occidentalibus, in Orientis Eccleſia viguiſſe, qui diſtinguendæ utrique inter ſe Eccleſiæ ſuffecerint. Chorepiſcoporum officium exempli cauſa obtinuit apud Occidentales, multò ſeriùs, quàm in Oriente, eoſque circà annum 278. vel antè à quibuſdam Provincialibus Synodis inſtitutos cenſuit Morinus de Sacr. Ordin. part. 3. Exercit. 4. cap. 1.

num.3. laudarique uti qui viderentur instituti ad formam septuaginta Discipulorum Christi à Neocæsareensi Concilio notavit Scelestratius Sac. Antioch. Conc. ad Can. 10. cap. 16. art. 1. Ritè celeberrimus Thomassinus Vet. & nov. Eccl. Discipl. part. 1. lib. 2. cap. 71. sacræ Psalmodiæ originem, & progressum his describit. *Cùm ergò Psalmos, & Hymnos cum Apostolis Christus decantaverit, & de spiritali Psalmorum cantu crebra sit apùd Paulum mentio, & commendatio frequens: similius veri est hæc Ecclesiasticæ Psalmodiæ primordia fuisse primùm in Ecclesia Palæstinæ ex Salomonis Templo, ejusque concentibus, & tùm deindè in Orientalibus Ecclesiis universis*. Id autem ex Augustini sensu Epist. 119. c. 18. dixerat, ex quo etiàm constat Ambrosium ab Orientali in suam Mediolanensem Ecclesiam transtulisse Psalmos, Hymnosque certa modulatione decantandi morem Confess. lib. 9. c. 7. Sabbati jejunium Orientales Christianos execratos esse, cùm Occidentis Romana, aliæque Ecclesiæ Sabbato jejunarent, ex antiquissimis monumentis constat, qua de re videantur quæ congessit Baronius ad annum 57. n. 202. Ea autem in re non quæro cur Orientales Sab-

bato

bato jejunare noluerint, idve an ex Judaicis moribus fluxerit apùd Christianos ex Circuncisione, an soli Ebionæi id ipsum ex veteri Lege servaverint; quod tradere videtur Euseb. Hist. lib.3. cap.27. Observandum tamèn reor Judæos, qui in Christum crediderant apùd Judæos non credentes, Ebionæorum nomine vocitatos, eosque legalia observasse. Ità Origenes lib.2. contrà Celsum loco in superioribus indicato, nùnc integrè transcribendo: *considerandum*, inquit, *igitùr quid dicat ad Fideles conversos ex Judaismo. Ait eos illectos, & deceptos valdè ridendo modo à Jesu, relictis patriis institutis, ac legibus, transfugisse in nomen aliud, rationemque vivendi longè diversam: ne hoc quidèm intellecto, quòd Judæi, qui in Jesum crediderunt, non desciverunt à patriis Legibus: vivunt enìm juxtà eas paupertati suæ Legis cognomines; nàm Ebion pauper judaica lingua vocatur, & Ebionæi dicuntur à cæteris Judæis, quì Jesum pro Christo receperunt. Quìn & Petrus videtur longo tempore juxtà Leges Mosis observasse ritus Judaicos.* Ex quibus constare videtur Ebionæorum nomine intellectos omnes, qui ex Judæis Christiani, quos, & Paulus Epist. ad Gal. 2. τῶν πτωχῶν nomine appel-

lat, eosque legalia observasse, quamvis qui Ebionæi apud Christianos audiebant, ea ratione inter Hæreticos recenserentur, quòd Legalium observantiam saluti necessariam putarent. Quidquid autem de ea re sit, illud puto neminem inficias iturum, hoc solùm Jejunii sabbatici (quod Orientalibus execratum, Occidentalibus secùs) charactere, Orientis Ecclesias ab Occidentalibus distingui potuisse. Alia ejusdem rei argumenta ex re vestiaria sacra, ex clericali tonsura, ex cœlibatu sacrorum Ordinum, & similibus peti possent, quæ omittenda mihi ad alia pergenti censui, cùm usque modò allata sufficiant. Lubet tamèn pro adductorum coronide Dionysii Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi locum quamvis nonnihil prolixiorem afferre ex relatis apud Eusebium Hist. lib. 7. cap. 4. quòd Orientales Ecclesiæ laudentur, pleræque etiam nominentur. Scribens enim Dionysius ad Stephanum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, hæc ait; *jàm scitò Frater omnes Orientales Ecclesias, quæ anteà fuerunt proptèr errorum perversitatem nonnulla discensione distractas ad concordiam denuò esse redactas*. Et paulò infrà. *Demetrianum dico Antiochiæ Episcopum,*

Theo-

Theoctistum Cæsareæ, Mazabanem Æliæ; Marinum Tyri mortuo Alexandro Episcopum, Heliodorum Laodiceæ defuncto Thelemidro Episcopum, Helenum Tarsi, & cunctas Ciliciæ Ecclesias, Firmilianum etiàm, & totam Cappadociam. Illustriores solùm Episcopos nominatìm perstrinxi, ne vel literæ videantur aliquantò prolixiores, vel nominum enumeratio, Lectori satietatem, & molestiam afferat. Syria porrò universa, & Arabia, quibus vestra doctrina, & consilio, semper magno adjumento fuistis, & quibus etiàm modò scripsistis Epistolas, Mesopotamia quoquè, Pontus, atque Bythinia, & ne longum faciam, omnes ubiquè gaudio exultant, & uno animorum consensu, ac fraterna charitate Deo gloriam impertiunt. Dionysii itàque ævo tùnc videlicèt cùm nondùm divisum fuerat Imperium,

——————— *& conspirabant*
——— *Gemini frænis communibus Orbes,*

Ecclesiæ laudatæ, cum cæteris, clausulis generalibus indicatis, Orientales dicebantur.

XXII. Ex usquè modò deductis satìs, ut puto, constat de antiquissima, & nullo pacto à civili ratione dependente distinctione, Ecclesiæ in Orientalem, & Occidentalem, ejusque vera origine. Constat Orientales

omnes habitas Ecclesias illas Apostolorum, & proximè subsecuto ævo, quæ quòd fundatæ fuissent in locis Judaici Incolatus, plures Metropolitas ab initio habuerunt; Occidentales autèm, quæ ab una Romana tanquàm à Matre progenitæ, & ex solis Gentilibus collectæ, diversis Metropolibus (quod in Orientalibus ex Judaica forma fluxerat) subesse nequisse. Cùm igitur ex ipsa Actuum Apostolicorum lectione habeatur Judæos, quos Paulus præ Gentilibus dilexit, quæsivitque, degisse frequentes in Macedonia, in Græcia, in Achaja, conterminisque regionibus ad Illyricum usquè; conficitur Macedoniæ, Achajæ, & vicinarum Provinciarum Judaico-Gentiles Ecclesias, tùnc demùm tantùm Occidentali Ecclesiæ adjectas, cùm placuit Ecclesiasticam Hierarchiam, formæ civili recentiùs inductæ accomodari, cùmque Illyrico conterminæ regiones, Imperio in Orientale, & Occidentale distincto, accessere. Ea autèm in re mirum doctissimos Viros de Illyrico ità agere, ac si iisdem finibus Apostolica ætate fuisset, quibus Constantini ævo, statuantque proindè ex Apostolorum disciplina fluxisse, ut Occidentali Ecclesiæ Illyricum solidum accesse-

cesserit, cujus nomine non modò Illyricum vetus, sed & Epirum, Achajam, & Macedoniam intelligunt. Porrò quamvìs probem Illyricum, quòd solos Gentiles Incolas, vel raros admodùm Judæos habuerit, à primæva Christianismi propagatione Romanam Ecclesiam utì Matrem agnovisse; pernego tamèn Illyricum Provincias illas complexum, in quibus Paulus ex Judæis passìm, utì in cæteris Orientis, Ecclesias celeberrimas fundavit tùm, cùm vix Romana esse cœperat. Id ex temporum collatione constabit, si Tessalonicensis, Philippensis, & Berœensis in Macedonia, Atheniensis in Ellade, Corinthiacæ in Achaja initia, cum ejusdem Pauli Romam venientis, Romanamque Ecclesiam cum Petro fundantis ætate, conferantur. Accuratè proindè scribebat Innocentius primus Epist. celeberrima, pluriesquè laudata ad Decentium Eugubinum, ubì asserens in Occidente nullum præter Petrum, ejusque Successores Ecclesias fundasse; unicam, quod ajebam, ab initio Occidentis Metropolim agnoscit. *Manifestum*, asserit, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atquè Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Eccle-*

 sias,

ſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerint Sacerdotes. Aut legant ſi in iis Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe, qui ſi non legunt, quià nuſquàm inveniunt, oportet eos hoc ſequi quod Eccleſia Romana cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt. Ideò autèm de Illyricianis Eccleſiis ſilvit Pontifex, quià cùm tùnc Illyrici nomine, & earum Provinciarum Eccleſiæ venirent, quas Paulus in Macedonia, Græcia, Achaja fundaverat, quæque per ea tempora Occidenti accenſebantur, non poterant illæ, ut cæteræ Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Inſularumque à Petro, vel Petri Succeſſoribus fundatæ dici, quamvìs ex recentiori diſciplina Romano Epiſcopo, Jure Patriarchico, ſivè Occidentis antiquiſſimo Metropolitico utenti, obedirent. Scitè proindè Queſnellius in Apologia pro S. Hilario Arelat. cap. 12. diſtinguenda eſſe tempora monuit eſpreſſis adeò verbis, ut hæc eadem tranſcribenda exiſtimem. *Etsì*, inquit, *poſterioribus Eccleſiæ temporibus, cùm Eccleſiaſticæ diſciplinæ fundamenta poſita ſunt, conſtitutuſque ordo Hierarchiæ, ad formam politiæ civilis ordinati ſint Eccleſiaſtici gradus, ſtabilita ſedium*

Epi-

Episcopalium dignitas, Metropolitarum potestas erecta: tamèn eandem disciplinæ formam inquirere in illo seculo quod Apostolicum proximè excepit....... hominis est, meo quidèm judicio, antiqua, novaque miscentis. Ità ille, ac certè verissimè licèt minùs cohærentèr ad ea, quæ alibì cum communi Doctorum sententia antiqua, novaquè miscentium, tradit, ac præcipuè Differt. p. de Vita, & rebus Gestis Magni Leonis ad annum Christi 452. ubì de contentione orta ob Anatolii Constantinopolitani ambitum, differit.

XXIII. Verùm, ut ad Illyrici fines pro temporum diversitate admodùm varios revertar, certum est antiqua, & nova miscere, qui ad tempora Constantinum subsecuta aspicientes, eas omnes Provincias Illyrico, & Occidentali Ecclesiæ addicunt, quæ Præfecto Prætorii Illyrici subiicebantur, at (quod sanè mirum) id ipsum ab antiqua Apostolorum ætate trahere nituntur, licèt certissimis documentis clarè constet Macedoniam, Epirumque, ac proindè Achajam ab Illyrico distinctas in veteri Imperii forma fuisse, nec desint ex Vopisco, Pollione, Lampridio argumenta, quibus & Dalmatia ipsa ab Illyrico diversa cognosci queat, ut adnotavit

vit Gothofredus in Indice Topographico ad Codicem Thodosianum. Quis ferat asserentes Tessalonicensem Ecclesiam Illyrici totius Metropolim ab initio fuisse, quòd in Civili forma Illyrici itèm Metropolis Thessalonica esset, si hæc de Apostolicis temporibus dicantur? Macedonia non modò ab Illyrico distincta, sed nec certæ Metropoli deputata, quippè, utì forma Provinciarum ferebat, in quatuor Diœceses, sivè Conventus dividebatur ex Livii lib. 45. cap. 29. ubì, & eandem ab Illyrico, & Epiro, discretam sicùt, & Illyricum, Epirumque inter se distinctos, videre licet. Etenim cùm in Provinciæ formam redacta est, in quatuor Regiones dividi Macedoniam ex Senatus consulto placuit; quarum *quarta*, inquit Livius, *trans Boram Montem una parte confinis Illyrico, altera Epiro*. Indè Conventuum loca explicat. *Capita regionum ubì Concilia fierent, primæ Regionis Amphipolim, secundæ Tessalonicen, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit; eò concilia suæ cujusque regionis indici, pecuniam conferri, ibì Magistratus creari jussit*. Postremis hisce Livii verbis docemur, quò Conventuum loca designarentur. Gentio itèm Rege superato, Illy-

Illyricum in Provinciæ formam redactum narraverat idem lib. eodem cap.18.,& cap. 26. in tres partes, sivè Conventus divisum. Suetonius in Tiberio Illyrici fines in hunc modum describit; *perseverantiæ grandæ pretium tulit toto Illyrico, quod inter Italiam, Regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, intèrque Danubium Flumen, & sinum Maris Adriatici patet, perdomito, & in deditionem redacto*. Plinius Hist. lib.3. cap.21. & 22. Illyrici Conventus tres describit Scardonitanum, Salonitanum, & Naronitanum. Libro autèm 4. cap.1. Epirus describitur, sicut & cap. 10. Macedonia. Quanto itàque discrimine, & Provinciarum forma, & Illyrici limites differunt, à forma, & limitibus Illyrici, si tempora Constantino recentiora spectentur? Sex. Rufi hæc Illyrici descriptio est; *Provincias habet Illyricus septem, & decem; Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mæsiam Daciarum duas*; & Macedoniam Illyrico tribuit statìm adiiciens; *& in Diœcesi Macedoniæ sunt septem; Macedonia, Thessalia, Achaja, Epiri duæ, Prævalis, & Creta*. Scribebat Rufus, Breviariumque suum Valentiniano, qui Joviano successit, inscribe-

be-

bebat. At Jornandes lib. 1. recentiora habet. *Illyricus*, inquit, *cuncta per partes quidèm, & membra devicta ad unum tamèn Corpus aptata est, quæ habet intrà se Provincias decem, & octo. Hæ sunt Norici duæ, duæ Panoniæ, duæ Valeriæ, Svevia, Dalmatia, Mœsia superior, Dardania, Daciæ duæ, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epirus, Prævalis, Creta, simùl decem, & octo.* Et has quidèm omnes Provincias Præfecto Prætorii Illyrici subjectas ex Notitia dignitatum Imperii cognoscimus, quas omnes primùm Occidentali Imperio adscriptas, indè ex parte Orientali restitutas adeò notum est, ut quidquam addere sit superfluum, consulendique sint Viri doctissimi de recentioribus hujusmodì Illyrici vicibus agentes.

XXIV. Orientalis itàque, & Occidentalis Ecclesiæ fines antiquissimis Christianorum temporibus designavit, constituitque Conversorum per Apostolos diversa conditio, quique à Circuncisione in Christum credidere, servata morum suorum quantùm licuit qualitate, & jurium prærogativa, à suarum Ecclesiarum primordiis certas Metropoles agnovere; qui verò ex Gentibus conversi sunt, Romam unam omnium suarum Ec-

cle-

clesiarum Metropolim statim ac fundatæ sunt, habuerunt. Ità, quæ postmodùm in Evropa, Illyrico, & Occidenti accessere Provinciæ, Apostolorum ævo ad Orientem spectasse, quæ in superioribus disputata sunt, suadent. Fines indè ex ea parte mutati sunt, cùm placuit Ecclesiastica civilibus conformari, cùmque in civili forma uni Præfecto Prætorii Illyrici, plures Provincias committi, sicuti tertio Seculo decurrente jàm cæpisse uni Illyriciano Duci, vel Curatori plurium Provinciarum Exercitus demandari ex Valeriani Augusti Epistola apùd Trebellium Pollionem intelligimus, ubì de Claudio ad Ablavium, hæc habentur; *Dux factus est, & Dux totius Illyrici habet in potestatem Thracios, Mœsos, Dalmatas, Pannonios, Dacos Exercitus.* Sicutì autem mutatis Illyrici antiquis finibus in Imperii typo, factum est, ut & Ecclesiæ Orientalis, Occidentalisque fines in Evropa mutarentur, ex eò quòd placuerit civili formæ Ecclesiastica conformari; ità è converso in Africæ, & Ægypti confinio nil recentioribus mutandum fuit, quòd ad veterem Ecclesiæ formam se conformaverint Civilia, & idem Constantiniano ævo Orientis, & Occiden-

ciden-

cidentis in Africa limes ſit habitus, qui ab initio Eccleſiaſticus fuerat. Apoſtolico etenìm ævo, licèt Pentapolitana regio, & Africæ deputaretur, & Senatus Provincia eſſet, Ægyptus verò ad Aſiam ſpectaret & Auguſto ceſſiſſet; nihilominùs ob Judæorum frequentiam in Cyrenaica degentium ab uno Alexandrino Ethnarcha pendentium, Cyrene ipſa, ſivè Pentapolis Alexandrino Epiſcopo paruit, & Orientalis eſt habita. Id verò ipſa Coſtantini, & Succeſſorum ætate minimè mutatum eſt, cùm in hac parte Imperii Typus veterem Eccleſiæ formam ſit imitatus, & Cyrenaica, quæ Apoſtolorum ævo diverſa ab Ægypti Provincia fuerat, recentiori inducta Imperii diviſione ad integram Ægypti Diœceſim acceſſerit, ac proindè qui voluere Eccleſiaſtica civilibus conformari, veteres Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ fines ſibi ſervandos agnovere.

XXV. Ab Apoſtolica Ætate paulatìm ſermone dilapſi ſumus ad ſubſecuta tempora, quibus cùm Judæorum pauciſſimi Chriſto nomen darent, & ubìque terrarum Chriſtianorum plerique ex Gentibus converterentur, diverſa omninò cæpit ratio ea eſſe, qua

Jura

Jura primarum Sedium vetera retineri, & nova instítui placuit, ab ea, qua primùm Apostolorum opera fundata fuerant. Hæc modò pro viribus illustranda remanent, videndumque quomodò, & quibus gradibus quod Apostoli plantaverant, paulatìm excreverit, undè forma illa demùm obtinuit, qua Ecclesiastica, civili Typo in plurimis, conformari placuit. Apostoli, qui ex Judæis Judæi, quique proindè Judaica Contribulibus suis lucrandis, in honore habenda à Christo edocti censuerant, Ecclesiarum jura ea forma metiri voluerant, qua Judæorum politiam imitarentur, indèque antiquissimæ Metropoliticæ origines, ut in Superioribus ostensum est. Institutas autem primas Sedes, hi qui proximè Apostolos excepere Episcopi singulari honore prosecuti sunt, non quòd ex Judaico, earundem Typus descendisset, sed quòd illas Apostoli specialiùs verbo, scriptoque nutrivissent, vel quòd easdem Martyrio, suisque lypsanis consecrassent, quòdve ibidem ipsi Cathedras collocassent magno honore ad Posteros transmittendas. Hæc Successoribus per manus tradita effecerunt, ut quæ de his omnibus, singulisve, vel de certa Episcoporum suo-

ſuorum ſucceſſione ab Apoſtolis deducta, docere poterant, cæteris præferrentur Eccleſiis, & velutì harum Matres haberentur. Cùm enim Eccleſiæ illæ hujuſmodi eſſent, quas Petrus, & Paulus cæterarum velutì Matres Scriptis, Cathedra, Martyrio decoraſſent, factum eſt, ut eædem apud Poſteros magni inter cæteras fierent, non quidèm ob omnes illas cauſas, ob quas ab Apoſtolis prælatæ fuerant, ſed ob illas tantùm, quæ ex Apoſtolica avctoritate fluebant. Plurima ſiquidèm cùm traditione, verboque non ſcripto niti oporteret, conſentaneum erat, ut in dubiis, Filiæ Matres audirent, ſingulæque minores Eccleſiæ ab illis, quas Apoſtoli ſpeciali cura foverant, credendorum rationem acciperent, & Ordinationis propagatione derivatæ, ab illis itèm penderent. Intèr omnes Romana Eccleſia Petri, & Pauli ſcriptis, prædicatione, laboribus, martyrio, & Primatus Apoſtolici Cathedra emicuit, cujus *potentiorem principalitatem*, ut cum Irenæo loquar, cæteræ ſemper Eccleſiæ agnoverunt. Hìnc Roma apùd Tertullianum de Præſcript. cap. 36. laudatur. *Habes*, inquit, *Romam undè nobis quoquè avctoritas præſtò eſt. Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam*

Apo-

Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usquè ad nos indicantes, &c.* Sicutì autèm in his tota Primatus Romani, tùm pro omni, cùm prò Occidentali Ecclesia, ratio consistebat; ità & primæ reliquæ Sedes ob easdem causas à suis Ecclesiis observabantur ea mensura, qua Petrus censuerat. Quarè Metropoliticum ab Apostolico non discernebatur primis illis Ecclesiæ seculis, cùm decus omne, ex sola Apostolorum institutione manabat: & nondùm Metropoliticum illud cognoscebatur, quo ad civilium rerum prototypon Ecclesiastica metiri Episcopi didicissent. Recentiora itàque spectet oportet C. V. Beveregius ad Canon. Apost. cap. 5. n. 16. ubì sentit Ecclesias plures, *etiàmsi honorem quemdam, ut Apostolicæ, nullum tamèn in alias primatum, nisi quatenùs Metropoliticæ essent Ecclesiæ, habuisse*. Hæc enim aptari nequeunt Irenæi, vel Tertulliani ævo; cùm quæ eorundem loca Beveregius ipse affert,

unicam exhibeant præferendarum Ecclesiarum rationem, quòd ibidèm sincera traditio servaretur, ubì Episcopi cognoscebantur ab Apostolica institutione cæteris prælati, & certa successione cogniti, ibìque constaret Apostolos Christianæ doctrinæ semina verbo, scripto, Cathedra, laboribus sevisse; quarè ad primas illas Sedes recurrendum esset, cùm de dogmatibus quæstiones incidissent, undè Provincialium Synodorum origo.

XXVI. His itàque vicibus, & gradibus hierarchica Ecclesiarum res processit. Apostoli primas ibi Sedes collocaverunt, ubì illustriùs, frequentiùsque Judæi suis legibus vivebant; at ubì Judæorum nullus, Ecclesias ex Gentibus collectas primæ illi Sedi subjectas fore edixerunt, undè qui Gentes converterant emissi fuerant. Apostolis munerè suo defunctis, quæ secuta sunt tempora Sedes prænarrato modo ab Apostolis fundatas eo nomine cæteris prætulere, quòd apùd illas, cum certa Episcoporum successione ab Apostolis derivata, vera traditio residere crederetur; cùm enim dogmatum quæstiones frequentèr emergerent, quique Ecclesias tenuerant Episcopi vitam cum mor-

morte commutassent, ab Ecclesiis illis, quas Apostolicas dixere, & ordinationis beneficium, & traditionis Apostolicæ veritatem, accipi debere censuerunt. Tertio tandèm inclinato æræ christianæ seculo, prima argumenta habentur, quibus credi potest, & in civili Imperii politia primas in Provinciis Civitates, ubì Præsides incolerent extitisse, & earum Urbium Episcopos ex loci dignitate, sui muneris jura in Provinciæ Episcopos augere cæpisse. Quiescentibus enim persecutionum turbinibus res Christiana latè patere cæpit, & Imperatores ipsi quamvìs gentiles eo amore Christianos sunt prosecuti, ut eosdem Provinciis præficerent, qua de re Eusebius Hist. lib. 8. cap. 1. ubì *singularis Imperatorum humanitas* celebratur, *qua nostros*, inquit, *benignè prosecuti sunt, quibus regendas etiam Provincias committebant, omni sacrificandi metu eos liberantes, ob singularem, qua in Religionem nostram affecti sunt benevolentiam*. Et paulò post laudatis Gorgonio, & Dorotheo; *similitèr*, ait, *& singulis Ecclesiarum Antistitibus summum honorem, cultum, ac benevolentiam ab omnibus tàm Privatis, quàm Provinciarum Rectoribus deferri vidisses*, cum cæteris, quæ sequuntur.

Ex his facilè factum, ut cùm Præfecti Provinciarum, qui alicùbi etiàm Christiani præsidebant, Episcopos singulari amore, & honore prosequerentur, intèr cæteros Episcopi illi eminerent, qui in eadem Urbe cum Præside ipso degebant. Indè Metropoles Ecclesiasticæ multiplicatæ sunt, alicùbi etiam ex una ad alteram ejusdem Provinciæ Urbem translatæ; sed & in Occidentali Ecclesia paulatìm eadem, quæ in Orientali fuerat disciplina hierarchica, oriri cæpit, licèt non in omnibus illi respondens, quòd ibì ab Apostolis originem suam traxisset, hìc à recentiori rerum, & temporum conditione. Ità cùm à primævo Ecclesiæ more recessum esset, dissensiones accerrimæ, jurgia, & fastus secularis mala irrepsisse, ex Eusebio ipso eodem loco constat, cujus hæc consideranda subjicio; *sed cùm ex nimia libertate in negligentiam, ac desidiam prolapsi essemus, cùm alter alteri invidere, atque obtrectare cæpisset, cùm intèr nos quasì bella intestina gereremus verbis tanquàm armis quibusdam, hastisque nos mutuò vulnerantes, cùm Antistites adversùs Antistites, Populi in Populos collisi jurgia, ac tumultus agitarent, &c.* & pavlò infrà; *cùm Pastores nostri spreta Religionis regula, mutuis*

tuis intèr se contentionibus decertarent, nihil aliud, quàm jurgia, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare studentes, Principatum quasi Tyrannidem quamdam contentissimè sibi vindicantes; tunc demùm, &c. quæ quidèm ad contentiones inter Episcopos gliscentes, *de honoris prærogativa, aut de finibus Parœciarum suarum*, referenda esse censuit Doctissimus Valesius in notis. Licèt autèm ob id Numinis vindictam senserint, & Diocletiani persecutione ringente, qui ob amplificanda Diœcesium suarum pomœria cum finitimis Præsulibus certaverant, in servitutem abducti, Camelorum, & Equorum Gregibus sint præpositi; nihilominùs pace denuò Ecclesiæ restituta quod semèl ex ambitu secularis fastus emerserat malum, denuò exarsit. Componendis itàque hujusmodì dissidiis Sancta Nicæna Synodus operam dedit; quod ea consilii ratione factum est, ut licèt formæ civilis recentèr inductæ ratio sit habita, quod volebant plures, de ea tamèn normæ loco, quantùm licuit, accepta, nil explicitè dictum sit, sed illud potiùs sit declaratum; Alexandrini, & Antiocheni, ac cæterorum Metropolitanorum jura ea mensura consistere debere,

quam vetus consuetudo induxisset, quod Episcopi illi volebant, qui Apostolicarum Ecclesiarum privilegia ex civili politia metiri debere negabant. Nec sic tamèn partes adquievisse ex Antiochenæ Synodi Canonibus apparet; cùm enim Nicænus Canon Apostolicis Ecclesiis favere videretur, quatenùs primus in qualibet Gente Episcopus haberetur, qui Apostolicam successionem ostendere posset; explicitè tandèm pro hierarchici Episcoporum juris regula, civilis Imperii forma est accepta, & Canon Nicæna Synodo antiquior ità explicatus est, ut præscriberet: *Episcopos, qui sunt in unaquaque Provincia scire oportere Episcopum, qui præest Metropoli, & curam suscipere totius Provinciæ*; ea adducta causa recenti omninò, & veteribus ignota, *quòd in Metropolim undequaquè* concurrerent *omnes, qui negotia haberent*.

XXVII. Id tamèn inductum fuisse, non quòd id moris fulciri Veterum exemplo, seù Apostolica traditione prætenderent, qui ejus Disciplinæ Avctores fuerant, vel ei mordicùs adhærebant, sed quià id ex quadam rerum convenientia fieri debere videretur, ex allato Antiochenæ Synodi Canone, constat,

qui

qui Metropolûm Episcopos præferendi rationem affert ex negotiorum agendorum facilitate desumptam. Cùm Valens ex una, duas Cappadocias fecisset, observandum est ex Gregorii Nazianzeni Orat: 20. Antimum quidèm, qui civilem divisionem sibi prodesse volebat, convenientiæ, & æquitatis argumentis jura sua qualiacumque in medium protulisse; at Basilium divisa Provincia, minimè multiplicandas esse Metropoles Ecclesiasticas, ex veterum Patrum decretis, antiquaque Ecclesiæ consuetudine ratione desumpta, defendisse; *Antimus*, inquit Gregorius, *æquum esse dicebat, ut cum publicis Diœcesibus nostræ quoquè simul dividerentur, ob eamque causam eas Parœcias, quæ novæ Provinciæ nupèr adjunctæ fuerant, ut jam ad se attinentes, atquè Basilio abstractas vindicabat. Basilius contrà veteri consuetudini, atque huic divisioni, quæ olim à Patribus facta fuerat, inhærebat.* Novitium itàque omninò tùnc erat, quòd formæ Civili Ecclesiasticæ Parœciæ aptari deberent, nec id intenderant Veteres, licèt casu potiùs, quàm consilio, quas ob Apostolicam successionem in unaquaque Gente colebant Metropoles, illæ alicubì in novo Imperii laterculo, civiles

essent Metropoles Provinciarum. Manifestum siquidèm novitatis argumentum est, quod post Nicænam Synodum demùm orta sit quæstio, an mutata per Imperatoris Edictum Provinciæ, vel Diœcesis forma, mutari etiàm deberent Ecclesiastici Metropolitarum fines; etenìm, cùm per priora tria Christianorum secula, Forma civilis immanes passa sit vices, etiàm antè Diocletiani ætatem, cùm, Lactantio de Moribus Persecut. referente, *ut omnia terrore complerentur, Provinciæ quoquè in frusta concisæ multi Præsides, & plura officia quoque*; id ipsum exquirendi plures, & gravissimæ sæpiùs accidissent causæ. Nova prorsùs quæstio ea fuit, de qua Antiochenus Episcopus Innocentium I. Romanum Pontificem interrogandum censuit, cuique Is Ep.18. in hæc verba respondit; *nàm quod sciscitaris, utrùm divisis Imperiali judicio Provinciis, ut duæ Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari; non verè visum est ad mobilitatem mundanarum necessitatum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aùt divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator*. Valentis ne tempore, vel Innocentii, primùm Imperii Provinciæ in plures di-
visæ,

visæ, ut tùnc demùm, quæ vetères non vexaverat de Ecclesiasticarum Metropolûm finibus controversia, nasceretur? Ex novo, qui in Ecclesiam irrepserat more, nova quæstio est exorta, sed & quod convenientiæ, & æquitatis prætextu probatum alicùbi, & aliquandò fuerat, iniquitatis, & aliena jura invadendi ansam præbere agnitum est ab ipsis Orientalis Ecclesiæ Episcopis, quos maximè amplificandi fines, & aliorum jura violandi urebat fastus. Hinc cùm in dies turbæ multiplicarentur ex regula illa semèl admissa, quòd Diœceses Ecclesiasticæ, civili Imperii laterculo conformari deberent, in Chalcedonensi tandèm Conciliò clamatum est à Patribus; *contrà Regulas, pragmaticum nihil valeat. Regulæ Patrum teneant.* Et accedente Imperatoris consensu Act. 4. statutum est in hæc verba; *Sacratissimo Orbis Domino placuit, & non juxtà sacras Literas, aut pragmaticos typos, res Sanctissimorum Episcoporum procedere, sed juxtà Regulas à Sanctis Patribus latas.* At hisce Chalcedonensis Synodi decretis, nec futuris malis prospectum est, nec restituta sunt iis, quibus ob novam inductam methodum ablata fuerant Jura, ac Constantinopolitani in

pri-

primis Episcopi fastus, qui aliena invaserat Regiæ Civitatis prætextu, firmatus est. Horum autem omnium ea est conclusio; Metropolitanorum Jura ab ipsa quidem Apostolorum institutione derivari, sed ob alias, aliasque causas prò rerum, & Ecclesiæ vario statu, diversa adhibita regula definita, quarum postrema ex civili Imperii forma deducta, nil Apostolicum habuit, quinimò ejus prætextu furfuris plurimum veteri simplicitati permixtum accessisse, in Orientali maximè Ecclesia. Quo sensu vera sunt, quæ ex Hilario Diacono in Epist. ad Ephes. cap. 4. à Nonconformistis perperàm contrà Episcoporum Hierarchiam afferri solent, ea videlicet; *postquàm omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata, alitèr composita res est, quàm cæperat*; & statìm, *cæpit alio ordine, & providentia gubernari Ecclesia*; & infrà; *ideò non per omnia conveniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est*. Et ut ab Avctore Catholicis meritò inviso, ad Sanctissimum Ecclesiæ Orientalis lumen Gregorium Nazianzenum, transeam; Is Oratione 28. jurgia, dissensiones, & fastum sugillat, quæ in diversa studia trahebant suorum temporum Orientis Episcopos, qui ex con-

conformatis ad civilem Typum Ecclesiasticis muneribus, honorum discrimina multiplicaverant, occasione indè sumpta à veteri Apostolorum simplicitate recedendi; hæc enim urget, & insectatur, non id, quod ab Apostolica traditione descenderat, cùm ait, *utinàm nulla esset προεδρία, aut loci eminentia, nec tyrannica prærogativa ut omnes tantùm ex virtute dignosceremur! Nunc verò dextrum illud sinistrum hocce, medium istud, celsum, & inferius, præcedere, & simul ire, multas nobis ex vano intulere calamitates, multos in foveam ursere, & ad hædorum partem abduxere*. Quæ quidèm ritè haùd intelligi possunt, nisi Constantiniani Ævi Disciplinam, ab Apostolica distinguamus.

XXVIII. Ad absolutum Rei examen juvat hìc demùm Lectori erudito exhibere eorum nonnulla, in quibus Ecclesiastica Metropolûm disciplina à recentiori etiam Imperii laterculo abiit; deindè alia aliquot indicare, quæ nec ex recentiori, nec ex veteri civili politia accipi potuerunt, quòd illis antiquiora multò, istis dissimilia omninò fuerint; ex his enìm constabit, quàm fallax argumenti genus sit, Metropolitanorum fines, & Jura, ex Imperii Typo metiri. Et quod ad novam

vam Imperii rationem pertinet, liquet in Orientali quidèm Ecclesia Metropolûm disciplinam in multis, civili methodo dispositam, at in Occidentali in omnibus ferè diversam extitisse. Verissimum est, quod eximium Italiæ nostræ, & Ecclesiæ totius lumen, Eminentissimus videlicèt Cardinalis Norisius asseruit in Differt. de V. Synodo cap. 10. *Ego quidem*, ait, *fateor in Patriarchatu Antiocheno, & Alexandrino, & in tribus autocephalis Diœcesibus easdem, ut plurimùm, fuisse Civiles, & Ecclesiasticas Metropoles, ut ubìcumque Provinciæ Rector resideret, ibidèm etiàm Metropolitanus Episcopus haberetur; at in Patriarchatu Romano, quod ad Africam, & Italiam spectat, illam consuetudinem minimè servatam video. De Primatibus Africæ id pluribus ostendimus lib. 2. hist. Pelag. cap.* 8. Licèt autèm in Orientali Ecclesia Metropolitanus Episcopus, ut plurimum ibì esset, ubì Provinciæ Rector residebat; docemur nihilòminus ab eximio, & eruditissimo Viro ex ordine Provinciarum civili, ordinem Metropolitanorum minimè dispositum; quarè Salmasium emendat, qui primæ in quacumque Diœcesi Provinciæ Metropolitanum, cæteris ejusdem Diœcesis prælatum

tum ait, & Patriarchæ nominæ nuncupatum. Ità non modò in Africana Ecclesia, quamvìs in Notitia Orientalis Imperii Bysacium Numidiæ præcederet, Numidiæ tamèn Metropolita, Bysaceno præcessit in Synodis Carthaginiensibus annorum 418., & 419. & præcedit in literis Synodalibus Conciliorum; sed & cùm in notitia Imperii Orientalis Ponticæ Diœcesis Bithynia antè Cappadociam scribatur, nihilòminus Cæsareæ Cappadocum Episcopus autocephalus, Metropolitæ Nicomediensi præpositus fuit, ut ex plurimis, ac præcipuè ex Nicomediensis ordinatione per Helladium Cæsareensem facta probatur. At Diœcesium civilium ordo in Notitia Imperii is est, *Asia Proconsularis*, *Oriens*, *Ægyptus*, *Diœcesis Asiana*, *Pontus*, *Thracia*. Diœcesium autèm Ecclesiasticarum hic admodùm à priori diversus; *Ægyptus videlicèt*, *Oriens*, *Thracia*, *Ephesus*, *Pontus*, quibus autocephalus *Cypri*, & alii fortassis à Patriarcharum, & Exarcharum jure exempti adiiciantur oportet. Diœcesium civilium singulis Provinciis diversæ dignitatis Viri præponuntur, Consulares, Præsides, Correctores; Metropolitæ autem omnes æquali inter se jure fruebantur.

tur. Hinc conferenti Ecclesiastica cum Civilibus, Provinciæ passim occurunt Præsidiales, Correctorialibus, & Consulares Præsidialibus prælatæ, quæ alio ordine in Ecclesiasticis recensentur. Sub Ephesino Exarcha non modò Asia Proconsularis, sed & Asiana Diœcesis, quæ in Imperii notitia diverso Magistratui parebant, Asiana videlicèt Vicario, Proconsularis Proconsuli. Mutata quinto Æræ Christianæ Sæculo in multis Ecclesiarum Orientalium Hierarchia, plura à civili forma abierunt; etenim subactis per Constantinopolitanum Episcopum Asiæ Exarchis, eodem tamèn Juris, & dignitatis loco, quo anteà, perstitere Proconsul, Præsides, Vicarii, Correctoresque, nec ideò Orientis Comes à suo jure decessit, quòd Hierosolymorum Episcopus in Patriarcham erectus, ab Antiocheni Diœcesi avulsus esset. His adjiciendum est mira inconstantia suam rem egisse Orientales Episcopos, cùm enim è re erat civilem formam, tanquàm Ecclesiasticarum Parœciarum mensuram assumebant, & rursùs cùm ei inhærere, ne obesset timeretur, mutatis vicibus, alter alterius, quæ reprobaverat arma, probabat, & Patres, & Ordinationum Syno-

no-

nodorumque cogendorum mores, ac in primis Nicænus Canon allegabatur, repudiatis pragmaticis, ut ajebant, Sanctionibus. Constantinopolitani Episcopi, qui cæteros omnes fastu superarunt, ex Regiæ quidèm Urbis dignitate argumenta depromebant, quibus se Orienti præesse, & veteris Romæ honorem æquare præsumpserunt; at cùm id ab Apostolica institutione trahi nequiret, & cùm veteri Ecclesiæ consuetudine, & Patrum Sanctionibus se tuerentur cæteri Præsules; ad fabulam de Byzantina Ecclesia ab Andrea Petri Germano fundata, confugerunt; agnoscebant quippè inerme, fluxumque Juris Ecclesiastici argumentum illud, quod ex politica Imperii, & Provinciarum civilium recenti dispositione desumebatur.

XXIX. Intèr ea, quæ nec recentiori, nec antiquissimæ Imperii politiæ congruunt, illud in superioribus adnotatum est, quòd Alexandrinus Episcopus intèr omnes si Romanum excipias, emineret; quamvìs enim frequentia Incolarum, rerum affluentia, cæterisque hujusmodì, Alexandria secunda post Romam apùd Scriptores laudetur; non ideò tamèn in civili Provinciarum typo; quæ Præ-

fecto

fecto Viro equestri regebatur aliis prælata est Proconsulibus, Proprætoribusve, Patricii videlicet Ordinis Viris, demandatis; qua de re plura suis locis sunt dicta. An ubique certo loco, Urbive, primi in Provincia Episcopi decus affixum esset, & ibi in primis, ubi post Apostolorum tempora Sedes fundatæ sunt, dubitari potest. Africana Ecclesia, & post Constantinianam formam inductam id in more habuit, ut Senior, vel Ordinationis causa cæteris Antiquior, præsideret, qui non Metropolita, sed Primas dicebatur. Id ipsum antè Nicænam Synodum consuevisse, & alibi, etiam in Oriente, argumento est Pontica Synodus Victoris Papæ ævo celebrata, de qua Eusebius Hist. lib. 5. cap. 23. Palma enim ideò præsedisse dicitur, quòd ἀρχαιότατος esset. Ex eadem causa fortasse accidit, quòd Phœdimus Amasiæ Helenoponti Episcopus Gregorium Taumaturgum Neocæsareæ Polemoniaci Ponti Civitatis Episcopum ordinaverit, quòdque posteà Gregorius ipse Commanæ Civitatis Antistitem Alexandrum cognomento Carbonarium initiaverit, cùm in recentiori forma obtinuerit Cæsaream Cappadociæ totius Ponti Metropolim Ecclesiasticam esse,

quæ

quæ usquè ab Hadriani Ævo, & fortassìs antiqviùs, Metropoleos honore gavisa sit. Obscura sunt, quæ ad Thraciæ Diœcesim pertinent, si de temporibus, quæ Constantinum præcessere sit sermo; at antiquissimam in ea Metropolim Ecclesiasticam Heracleam, quam Veteres Perinthum dixere, fuisse liquet. Byzantii primus, quem sciamus, Episcopus Sanctus Metrophanes fuit, Nicænæ Synodi tempore ferè centenarius, antè quem nullum ibidèm sedisse pluribus eruditè contendit doctissimus Janningus ad diem quartam Junii. Dio apud Xiphilinum de Severo; *Urbem*, inquit, *omnemque regionem, quæ erat sub ejus potestate Perinthiis concessit. Hi Byzantio usi sunt ut vico, & à nullo genere injuriæ temperaverunt*; & statìm; *Civitati abstulit libertatem, eamque privavit suis privilegiis*. Byzantium itàque antè Severi Imperium Perintho præstavit, nec tamèn Episcopali Sede adhùc fruebatur, licèt, omnium quæ in Thracia erant Urbs felicissima, & Imperatorum privilegiis aucta, qualisque Herodiano lib. 3. describitur. *Idem* Niger, inquit, *Byzantium præsidio occupavit Urbem Thraciæ maximam, felicissimamque, viribus, & opibus ea tempestate florentem*;

quippè quæ in angustissimo Propontidis constituta freto, vectigalia, piscatumque à mare accipit, simùl agros possidens amplissimos, uberrimosque, utroque velutì Elemento lucrum facit. Cùm Severus Byzantium, Nigro devicto, occupavit, ibìdem Præsidem egisse Cæcilium Capellam arguit Baronius ad annum 198. de quo Tertullianus ad Scapulam; *Cæcilius Capella in illo exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamavit.* Sub eodem tamèn Severo restituta privilegia Caracallæ interventu, & Byzantium Archontibus demandatum probant Nummi Græcè signati apud Vaillantium; intèr quos altèr honoris gratia Archontem exhibet ipsum M. Avrelium Antoninum. Quantùm Asiaticarum Ecclesiarum typus, ab Imperii, tùm recentioris, tùm antiqui typo abierit, demonstratum est suprà non uno loco, ac etiam præcedenti paragrapho; quarè jam dicta hìc recoquere, minimè vacat. Syriæ etiàm antiquissima Ecclesiarum Antiochenæ, & Hierosolymitanæ jura satìs suis locis perpensa sunt, & civili, tùm novæ, tùm veteri politiæ collata. Unum adjiciendum est; Hierapolis Comagenæ Syriæ, quam recentiores Euphratensem dixere, Metropolis honore an
gavi-

gavisa fuerit usquè ad Constantinianam Orbis divisionem, incertum esse; certum autem Veteribus Samosatam id decoris in civili forma habuisse, etiam Apostolica ætate. Plinius in eam rem Eminentissimo Norisio Dissert.2. de Epoch. Syromac. laudatur, qui lib.5. cap.24. *Comagenes Caput, Samosatam* dicit. Idem observat, quòd cùm in Philippi Augusti Nummis ex Thesavro Mavroceno Equiti Patino p. 137. exhibitis, Samosata dicatur Metropolis Comagenes, & in ejusdem Philippi Nummis Hierapolis sinè Metropolis titulo legatur, *palàm fieri, diutiùs Samosatam jure Metropoleos potitam fuisse, antequàm illud à Christianis Imperatoribus Hierapoli tribueretur*. Sed & Trajani Decii Nummum exhibet Vaillantius inscriptum ΦΛ. CAMOCATEΩN MHTPO. KOM. *Flaviorum Samosatensium Metropolis Comagnes*. Vel cæpit itàque Hierapolis Metropolis Ecclesiastica esse, postquàm novus Imperii Typus conditus est; vel si antiquiùs Metropolis Ecclesiastica fuit, nulla Samosatæ civilis Metropolis ratio habita est. His, quæ jàm sparsìm allatis in tota superiori Dissertationis parte ex plurimis, quæ suppeterent, uno veluti fasce facto, afferre

placuit, nescio, an quòd solent, reponent communioris sententiæ Assertores; non in omnibus videlicèt, sed in plerisque Apostolos primas Sedes fundantes, civilem Imperii formam secutos; etenìm in plerisque, ac ferè in omnibus ostensum est, nullam civilis politiæ rationem habitam, aliudque toto cœlo diversum, Apostolos, & priorum temporum Patres spectasse.

XXX. Pro hujus partis coronide paucis indicàsse, quod sequiorum temporum Scriptoribus, & Canonistis placuit, illud confutasse erit. Hi, confictо quodam Gentilium Sacrorum systemate, credidere ad ejusdem exemplar Petrum primas Ecclesiarum Sedes instituisse. Pseudo-Clementis Epistola Jacobo Fratri Domini falsò inscripta totius fabulosæ molis substructio est, qua dicitur, quòd *in illis Civitatibus, in quibus olìm apud Ethnicos Primi-flamines eorum, atque primi Legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel Patriarchas, B. Petrus præcepit, qui reliquorum Episcoporum causas, & majora, quotiès necessè foret, negotia in fide agitarent; in illis autèm Civitatibus, in quibus dudùm apùd prædictos erant Archi-flamines, quos tamèn minores tenebant, quàm momoratos Primates,*

mates, Archiepiscopos institui praecepit. In singulis verò Civitatibus, singulos, & non binos, aut ternos, aut plures Episcopos constitui praecepit, qui Episcoporum tantùm vocabulo potirentur. Hæc porrò licèt in Corpus Juris Canonici irrepserint, tanti non sunt, ut diutiùs confutari mereantur. Recentioris admodùm imposturæ signum illud est, quòd nec Apostolorum ævo, nec post Constantini Ætatem distinctio illa Primi-flaminum, Archi-flaminum, & Flaminum usquàm apparet. Flamines quidem, & Flaminis, sivè Flamonis dignitatem ex Lapidibus, & ex Codicis Theodosiani Legibus, extitisse, constat, Gentilitatis videlicèt reliquias in Imperii Romani Urbibus eò redactas, ut qui illis fruebantur, certis gauderent privilegiis, quò Plebi, Populoque statis temporibus ludos exhiberent; at nullibì apparet hos hierarchico somniato ordine distinctos, tradita forma, Numinum sacra curasse. Quod tamèn mireris editus est nuperrimè eruditi Uiri Ollandi Libellus, quo simile quidpiam putido figmento, asseritur, dùm impugnata communiori Catholicorum sententia primas Sedes institutas asserere non veretur ad exemplar Provincialium eorum

Sacerdotum, quorum crebra mentio apùd Scriptores Apostolis synchronos, & proximè subsecutos; quique in Nummis etiam laudatos videre est. At nil ineptiùs excogitari poterat originibus Metropoliticis Ecclesiarum explicandis. Provinciarum Sacerdotes hujusmodì in Asia quidèm, Licia, Cilicia, Cappadocia, Syriaque eligi consuevisse novimus, at in Ægypto electos, vel Ægypti, Syriæque Sacerdotes hujusmodì cæteris Asiæ præfulsisse, undè Petrus Hierarchiæ suæ exemplar nactus sit, quis doceat? Præthereà sicut Episcopi, sic illi, quos postmodùm Metropolitas, vel Patriarchas dixere, certæ Civitati dati sunt ab initio, at Archiereos Asiarchasque, Lyciarchas, Ciliciarchas, Cappadocarchas, cæterosque hujusmodì, non in certa Civitate, sed modò hìc, modò alibì degisse, est compertissimum. Prætorum plurium, qui, & Asiarchæ fuerunt nummi extant; Præturæ tamèn mùnus exercebant apùd Pergamenos, apùd Ypæpenos, apùd Cyzicenos, apùd Sardianos, apùd Smirnæos, alibìque, sic & Archierei, quorum plures videre est in Indicibus à Vaillantio Operi suo adjectis de Nummis à Populis Rom. Dit. græcæ loqu. percussis.

Nec

Nec liquet an unus, pluresve Syriarchæ, Asiarchæque eodem tempore essent. Plures Asiarchas fuisse urgere videtur locus Act. cap. 19. nu. 31. τινὲς δὲ τῶν Ἀσιαρχῶν ὄντες φίλοι πέμψαντες πρὸς αὐτὸν παρεκάλυν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. *Quidam autem, de Asiarchis cùm essent amici ejus, miserunt ad illum, rogantes ne se in Theatrum daret*. Certæ autem Civitatis Sacerdotem nullibì novimus illustriorem Antiocheno Alytarcha, licèt & Pisis in Elide ejusdem nominis, & officii Virum, qui nempè ludis Olympicis præsideret, fuisse, notaverit Gothofredus ex Arundeliano lapide ad Codic. Theodos. libro 15. leg. 2. Ludos tamen hujusmodì Antiochiæ restitutos ex Johanne Malela advertit Eminentiss. Norisius Dissert. 3. de Epoch. Syromac. anno Æræ Antiochenæ CCLX. ab Afranio primo Alytarcha. *Hoc Sacerdotium*, inquit eruditissimus Cardinalis, *anno Æræ Antiochenorum CCLX. Antonino Caracalla imperante Antiochiæ primùm institutum fuit, quamvìs Malela anno memorato Commodum perperàm obtrudat*. Alytarcha itàque Antiochenæ Sedis fundandæ Petro prælusisse non potuit, qui nondùm creabatur. Verùm, quis credat Petrum ex Genti-

lium ſuperſtitione Chriſtiani Sacerdotii typum accepiſſe, qui à Gentilium moribus cibiſque, Judæis lucrandis, adeò abhorruit, ut Paulo reprehenſibilis viſus ſit? Pudet in nugis hujuſmodì confutandis, bonas horas terere.



PARS



PARS SECUNDA

De Italicarum Metropolûm Originibus.

I. EX diversa ratione, quam Petrum secutum diximus in Occidentis Ecclesiis fundandis, ab ea, qua in Oriente factum fuerat, vidimus in superioribus nullas ab initio Occidentalis Orbis Ecclesias Metropolitico jure gavisas, sed omnes unum Romanum Episcopum Metropolitam agnovisse. Ità factum est, ut vicinioribus Apostolis temporibus ab una Apostolica Romana Sede sanam traditionem, si quandò id res exigebat, exquirerent Occidentis Episcopi, qui sui ordinationis initia accepta eidem referentes, propiùs Oriente, totius Ecclesiæ vertici adnectebantur. Cùm autèm latè Christianum nomen diffusum est, & in postremas, dissitasque Occidentis Regiones propagatum, res eò devenit, ut quæ maximè ab Urbe distabant, diffi-

cilli-

cillimè semper cùm opus erat, auxilium, opemque, qua indigebant, reciperent. Indè intèr circumpositas Regionis, nonnullæ antiquiùs cæteris à Romana fundatæ Ecclesiæ, Apostolicæ haberi cæperunt, eoque nomine Primatus, seù Metropolitici nonnihil obtinere; ac id procedente tempore eò magis factum est, quòd Res christiana amplificaretur, novæque Ecclesiæ ab illis, qui Roma missi fuerant Episcopis, fundarentur; quos immediatè, & ordinationis, & dubiorum causa, traditionis tanquàm immediatos fontes aspicerent. Ad suorum temporum disciplinam Tertullianus, de Apostolicis Ecclesiis agit in libro de Præscriptionibus, triplexque earum genus, pro diversa traditionis, quam foverent mensura, agnoscit. Primum earum Ecclesiarum est, quas cùm fundassent Apostoli, easdem singularibus, favoribus, & Privilegiis auxerant, sua videlicet Cathedra, scriptis, lypsanis; *percurre*, inquit, *Apostolicas Ecclesias, apud quas ipsæ adhùc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & representantes faciem uniuscujusque.* Et hæ quidèm antiquissimæ, celeberrimæque primæ Sedes habitæ sunt.

ſunt. Secundi generis illas laudat, quas licèt, nec Cathedra, nec ſcriptis, nec martyrio ſuo conſecraſſent Apoſtoli, fundatas tamèn eorundem opera, Epiſcoporum ſucceſſio docebat. Tertio loco illas etiàm Apoſtolicas dicit, quæ ex Apoſtolicis natæ erant, vel primi, vel ſecundi generis. *Apoſtoli*, ait, *primò per Judæam conteſtata fide in Jeſum Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis, dehinc in Orbem profecti, eandem doctrinam ejuſdem fidei nationibus promulgaverunt, & proindè Eccleſiam apud unamquamque Civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ cæteræ exindè Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidiè mutuantur, ut Eccleſiæ fiant, ac per hoc, & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut Soboles Apoſtolicarum Eccleſiarum*. Secundi itàque generis Eccleſiæ, licèt ab Apoſtolis fundatæ, ab initio tamèn Matres minimè fuerunt, ſed tùnc demùm id illis honoris, & juris acceſſit, cùm tertiæ exortæ ſunt earundem ſoboles, quod factum ſuo tempore in Occidente, Tertullianus docet. Africana certè Eccleſia, quamvìs poſt Apoſtolorum deceſſum à Romana fundata ſit, antiquiſſima videtur Occidentis, quæ Sobolem genuerit; cùmque nondùm Metropolûm ratio haberi cæ-

ri cæptum esset, à nominum fastu abhorruit; quarè, & deindè, cùm aliæ varios honoris titulos adoptavere, simplicissimo primarum Sedium, & primorum Episcoporum nominibus contenta fuit, qui ordinationis habita ratione cæteris præminerent. Cartaginiensis intèr Africanos Agrippinus Episcopus emicat, qui quadraginta circitèr annis antè Cyprianum floruit, & Synodum in rebaptizandorum causa coëgit. Cùm tamèn, ut dictum est, certò constet post Apostolicam ætatem Africanam Ecclesiam fundatam, id juris, non ab Apostolis immediatè, sed à Romana Ecclesia accepisse, consequitur; ex qua missi, qui Gentes illas ad fidem converterent, multiplicatis Ecclesiis, constituerunt quandam disciplinæ Hierarchicæ formam, quæ subsecutis Agrippino temporibus, Provinciarum recentiori distinctioni, & regimini in nonnullis congrueret, in plerisque ab ea discordaret. Accessere etiàm, quæ in superioribus deductæ sunt causæ, sed & Orientalium disciplina, & utriusque Ecclesiæ consensus, ac Synodorum cogendorum occasiones potuere Occidentalibus primas Ecclesias cognoscendi, normæ loco esse. Lugdunensis, quæ primos Episcopos Asiaticos

ticos

ticos habuit antiquiſſima videtur, quæ Orientalis Eccleſiæ more, plures ejuſdem Epiſcopi Parœcias agnoſceret, quòd Paſchatis controverſias enarrans Euſebius indicaſſe viſus eſt. An tamen per ea tempora plures illæ Parœciæ, plures haberent Epiſcopos, dubitant Viri docti; Euſebius, quippè, qui Paleſtinos, Ponticum, Romanumque pluribus Epiſcopis præſediſſe ait, Lugdunenſem non plurium Epiſcoporum, ſed παροικιῶν Epiſcopum laudat. Quarè per ea Iræni tempora non plurium Epiſcoporum Metropolitam Lugdunenſem, ſed plurium Parœciarum Epiſcopum fuiſſe probari videtur Queſnellio Diſſert. V. cap. 11. & ſequenti.

II. At nec vacat nec ob documentorum raritatem facilè fieri poteſt, ut omnium in Occidente Eccleſiarum, quæ recentiori Ævo Metropolitano jure gaviſæ ſunt, origines inveſtigentur; incerta enim omnia, nec niſi dubiis conjecturis, quibus facilè ducuntur, qui ſingularum regionum res memoriæ, Poſteriſque mandant, propinanda. Italiæ proindè finibus oratio circumſcribenda eſt, cujus potiſſimùm gratia præſens Diſceptatio eſt inſtituta. Porrò quamvìs ex uſquemodò deductis manifeſtò agnoſcatur recen-

tius

tius omninò in Occidente Metropolitanorum jus, quo singulis Provinciis Metropolita præsedit, nec Ecclesias fundantes Apostolos ad civilem Imperii Typum potuisse Ecclesias constituere; id tamèn quà Italiam aspicit ejusmodi argumentis, quæ minimè in controversiam vertantur, confirmare operæ prætium est, ut eruditos alias Viros, qui vel. præconceptis opinionibus, vel studio partium ducti sunt, falli, certò certiùs appareat. Etenim si ob id plures intrà Italiam Metropoles admittuntur, quià plures in eadem, Provinciæ essent, quod placuit nonnullis eximiis, doctissimisque Viris, intèr quos eminet, qui decem Metropolitas numerat, quià decem fuere Provinciæ illæ, quibus Urbicaria Diœcesis constabat; vel ex Vicariis Præfecti Prætorio Italiæ rem diffiniendam ducunt, quatenùs sicùt eorum unus Romæ degens decem Provincias moderabatur; alter Mediolani residens, reliquis septem Italiæ speciali nomine nuncupatis, jus dicebat, ità duos tantùm in omni Italia latiùs sumpta Metropolitanos agnoscunt; sivè prætèr hos Aquilejensem, & Ravenatem Metropolitas ex Provincialium civili forma metiuntur; quandòquidem Imperii Typus, & Pro-

& Provinciarum Italiæ Constantiniana divisio, quibus ea omnia statuminantur, recentior est, nec Apostolorum ævo ullatenùs nota, unum ex duobus fateantur necesse est; vel Apostolos aliam prorsùs Ecclesiarum Italicarum formam, ab ea, quam ipsi asserunt statuisse, vel si eam, quæ quarto obtinuit seculo, ab Apostolis fluxisse contendunt, eandem nullo modo à civili forma dependisse. In eam rem juvat Italiæ civilis fata, ob quæ per priora tria æræ Christianæ secula varias toto cœlo divisiones passa est, brevi sermone complecti; indè enim constabit nullam civilis formæ rationem habuisse Petrum, & recentiora esse Metropolitanorum Italicorum Jura, ex eò maximè quòd civili Imperii laterculo conformata prætenduntur.

III. Notum autem est Italiæ alios à natura, alios à Romano Jure fines tributos. Fines à natura datos describunt Polybius lib. 11. Strabo lib. 5. Jus Romanum alios, atquè alios dedit, proùt major, minorvè ejusdem Italiæ pars Jure Italico est ornata, reliqua in Provinciarum numerò relicta. Hi etiam fines pro sua ætate Straboni indicati, ut paulò post dicam. Regio, quæ post Constantini

tini ætatem ex parte illa, quæ trans Padum est, adjectis Venetis, & Istria, Rhetisque, Italiæ speciale nomen obtinuit, antiquis Italia minimè vocabatur, sed & transpadana omnis, & cispadana, uno citerioris Galliæ vocabulo appellata est, & Provinciarum jure habita usquè ad Augustum. Ea proindè Prætore regebatur in varios Conventus distincta, ut ex Cæsaris actis apparet, qui postremò *Conventibus peractis* Ravennæ substitit, ut suprà suo loco narravimus. Indè ab Augusti ævo, Strabone teste lib. 5. *ità obtinuit, ut usquè ad Alpium radices proferretur. Occupavit etiàm Liguriam, usquè ad Varum flumen; itèm Istriam usquè ad Polam; postremò enim, cùm Romani Italos in societatem Civitatis recepissent, placuit eodem bonore Gallos quoquè dignari Cisalpinos, & ità Venetos, omnibusque paritèr, Italorum, ac Romanorum nomen tribuere.* Hìnc apud Tacitum Hist. lib. 2. cap. 32. Suetonius Paulinus *Italiam transpadanam* agnoscit, quæ Veteribus transpadana Gallia dicebatur. Alpium autèm radicibus non modò Strabo, sed & Polybius Italiam omnem finit. Cluverius lib. p. cap. 2. dubitat, an id fuerit satìs curatè dictum, cùm Strabo ipse Italiæ fines ad Alpium ἄκρας exten-

extendat. At omnia curatiſſimè ſunt dicta, cùm enim Straboni Alpium ſumma juga fines Italiæ dicuntur, de finibus, quos natura dedit agitur; cùm Alpium earundem radices, fines à jure Romano tributi intelliguntur, propagato Italiæ nomine, Galliæque Ciſalpinæ Jure Italico communicato. Auguſtus enim regnans, qui ἄκρας Alpium, Alpinoſque, & Rhetos perdomuit, Alpes ipſas non Italiæ adjecit, ſed in Provinciæ formam redegit, quod ſatis docet Dio lib.54. & Plinius, qui de Alpinis ſeorsìm ab Italia agit lib.3. cap.20. Iſtriam etiam ab Auguſto Italiæ adjectam tradit Strabo; *Italiam*, ait, *uſquè ad Polam Iſtrium Oppidum, qui nùnc ſunt Principes perduxere*. Plinii autem ævo, cùm anteà Formio Italiam finiret, Arſia demùm eidem in confinio fuit; *ultrà Tergeſte*, inquit, *ſex millia paſſuum Formio Amnis antiquus auctæ Italiæ terminus, nùnc verò Iſtria* & poſt nonnulla; *Oppida Iſtriæ Civium Romanorum Ægida, Parentium, Colonia Pola, quæ nunc Pietas Julia; abeſt à Tergeſte centum millia paſſus. Mox Oppidum Neſactium, & nùnc finis Italiæ fluvius Arſia*. Ex quibus Sigonius de Jure Italiæ lib.3. cap.5. *Iſtria in poteſtatem reducta tandiù cum Illyrico Provin-*

cia fuit conjuncta, dùm ab Imperatore Augusto Italiæ est attributa. Quæ quidem his, quæ in superioribus de veteris Illyrici finibus diximus, sunt adjicienda.

IV. Augustus Italiam universam à freto Siculo usquè ad Alpium radices enarratis finibus circumscriptam in XI. Regiones distribuit. Earum unaquæque quibus limitibus contineretur Plinius accuratè explicat lib. 3. cap. 5. Prima ubi Roma, Italiæ non modò, sed & totius Romani Orbis caput, extendebatur quà Mari infero aluvitur à Tyberi, Surrentum usque; Transpadana Regio tota mediterranea omnium postrema intèr Liguriam, quæ IX. à Varo ad Macram, Venetias, & Istriam, quæ X. & VIII. Arimino, Pado, & Apennini jugo circumscriptam, Alpiumque radicibus finiebatur. Italiæ universæ Augustus idem, cùm per civilia bella Romæ diutiùs consistere nequiret, Mæcenatem præficiens, Præfecti Urbis munus restituit. Tacitus Annal. lib. 6. cap. 11. *Cilnium Mæcenatem Equestris Ordinis, cunctis apud Romam, atquè Italiam præposuit*. Ità & Dio lib. 49. *Reliquas res, non Romæ modò, sed per Italiam totam isto, ac diù etiam sequenti tempore*, C. *Mæcenas Equestris dignitatis Vir*

Vir adminiſtravit. Pancirolus ad Notit. Imp. Occidentalis cap. 49. adjicit, ſingulis etiam Regionibus Prætorem præfectum, at nec ejus rei teſtem ullum exhibet, nec explicat cujus Ordinis Prætores hujuſmodi Italici eligerentur, qui Equeſtri Viro toti Italiæ præpoſito, parerent. Illud certum eſt communicato integræ Italiæ, ejuſque Civitatibus, Municipiis, Oppidiſque jure Romano, in ſingulis Decuriones fuiſſe, quorum Collegium Senatum Romanum imitabatur; Duumviri, locò Conſulum erant. Romæ item illuſtrium Italiæ Urbium Curatores fuiſſe, veteres Lapides fidem faciunt. Pancirolus loco citato ex Spartiano vidit ab Hadriano nova Magiſtratuum Italicorum forma inventa, Italiam quatuòr Conſularibus regendam commiſſam, ex quorum numero Antoninus cognomento Pius, deindè Imperator, fuit. *Ità Marcus, datis Juridicis, Italiæ conſulvit ad exemplum, quo Hadrianus Conſulares Viros reddere jura præceperat*. Ità Spartianus. Adjicit Pancirolus; *poſtmodùm unus totius Italiæ Corrector uſquè ad Conſtantinum fuit*. At unum Correctorem Italiam gubernaſſe antè Conſtantini ætatem non evincitur ex eo quòd Tetricus factus ſit ab

Avreliano totius Italiæ Corrector; videtur enim id pratèr ordinem, & citrà consuetudinem factum. Præterea Trebellii Pollionis locus satis vexatus est, ut quæ Tetrico subjicerentur Provinciæ intelligatur, pratèr eas quæ numerantur, clausula adjecta *omnisque annonariæ Regionis*, qua de re videndi Salmasius, & Sirmundus. At cùm de Taciti electione Vopiscus agit, videmus in Italia eminuisse *Mediolanenses*, *&* *Aquilejenses*, quibus à Senatu de ea re scriptæ sunt Literæ, sicutì, & ad Curiam Carthaginiensem, & Trevirensem; undè apparet jàm tùm in Imperii politia Mediolanum, & Aquilejam præcipuo loco fuisse. Constantinus tandèm in quatuor Præfectos Prætorio, Romani Orbis Magistratibus Imperii divisis, ut Zosimus tradit Hist. lib. 2. *eorum tertio* totam *Italiam*, *& Siciliam*, *& circumiacentes Insulas, itèmquè Sardiniam*, *& Corsicam*, *& Africam à Syrtibus Cyrenem usquè*, *commisit*, isque Præfectus Prætorio Italiæ dictus est. Cùm autem per duos Præfecti hujusmodì Vicarios Italia universa regeretur, & alter Romæ degens Vicarius Urbis, alter Mediolani residens Vicarius Italiæ diceretur, obtinuit, ut quæ Vicario huic subjicebantur

Pro-

Provinciæ, ſpeciali Italiæ nomine venirent. At de variis hujus vocis acceptionibus nonnulla paulò infrà adjicienda erunt.

V. Incredibiles itàque rerum vices, quas forma civilis regiminis Italici paſſa eſt ab Auguſti ævo ad Conſtantini ætatem, evidentèr oſtendunt lubrico quàm maximè fundamento niti Scriptores illos, qui ex eo rerum Typo, qui per Italiam antiquiſſimæ dùm colligebantur Eccleſiæ, obtinuit, trahere nituntur, Metropolitanorum eorum Syſtema, qui quarto, quintove Æræ Chriſtianæ ſeculo in Italia floruerunt; at rem incertiſſimam moliri illos, qui quòd in recentiori Laterculo plures in Diœceſi Vicarii Urbis Provincias vident, ab antiquiſſimis Apoſtolorum temporibus totidèm Eccleſiaſticas Metropoles fuiſſe aſſeverant. Verùm ſed nec ipſa recentiùs inducta Provinciarum Italiæ duplici Vicario ſubjectarum, forma, cognoſcendæ recentiori Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubſidio eſſe poteſt, cùm cogantur ab ea in pleriſque diſſentiri, qui ob id Epiſcopo Mediolanenſi ſeptem Provincias ſubjiciunt, quòd totidèm Italiæ Vicario parerent. Quot enim, quantiſque in capitibus Eccleſiaſticum, & civile invicèm di-

ſtant, nec comparationi locus eſt? Etenim illi, qui in Provinciis Urbis Vicario ſubditis, ex eo Metropolitas agnoſcunt, quòd illæ Conſularibus, Correctoribus, Præſidibuſve ſubjectæ rectæque, & quòd certa in Provinciæ cujuslibet Urbe, cui utì Metropoli reliquum concreditum eſſet, reſiderent, æquè ob eandem rationem, & ſeptem Provinciarum Italiæ Vicario ſubjectarum Metropolitanos agnoſcere deberent, & ità Mediolanenſem Epiſcopum non Metropolitanum, ſed Diœceſis Exarchum, quod tamèn nemo dabit. Sed illud etiam difficillimè explicabitur, cur placuerit ad Vicariorum rationem Metropolitanos Italiæ diſtinguere, id autem reliquo in Orbe minimè ſit obſervatum: cùmque tot alia civilis Typus Juriſdictionis diſcrimina ferret, eorum nulla habita ſit ratio in Eccleſiarum Hierarchia. Ità plures Provinciæ eidem Epiſcopo parere debuiſſent, contrà aſſertam hypotheſim, qua cuique Provinciæ ſuus Metropolita tribuitur; cùm in civili Italiæ Typo uni Præfecto paruiſſe conſtet. Sic Apulia, & Calabria Correctori uni, Brutii, & Lucani alteri, Venetia, & Iſtria, Flaminia, & Picenum annonarium,

Tu-

Tuſcia, & Umbria annonariæ, ſingulos Conſulares agnoverunt. Earum etiàm nonnullæ, modò ſuos, modò alterius Provinciæ Rectores habuerunt, ſic Tuſciæ, & Umbriæ unus Conſularis, qui anteà Corrector ex l.5. Cod. Theodoſ. de Denunt. & edit. Reſcript. At Tuſciam ſolam Corrector unus, vel Conſularis, Juliano imperante, rexit l. 6. Cod. ejuſdem de Numerar. Sic & ſequentium Auguſtorum ævo, uſquè ad Valentianum ſecundum, Theodoſiumque, poſt quos Tuſcia denuò Umbriæ acceſſit. Sic & unus Conſularis Æmiliam, & Flaminiam quandòque rexit, aliquandò verò duo, quod Æmiliæ, & Liguriæ eveniſſe docemur l.2. Codicis laudati de extraordin. ſeù ordin. muneribus. Appellationum etiàm cauſa mutatos Vicariorum fines aliundè patet; obſervavit enim Gothofredus ad l.9. de Extraord. Codicis Theodoſ. Conſtantium circà annum 357. novam Italiæ regionum deſignationem feciſſe, *earum ſcilicèt, ex quibus ad Præfectum Prætorio deincèps appellari vellet, & earum, ex quibus ad Præfectum Urbis, cùm hactenùs ex omnibus Italiæ regionibus Præfectus Urbis eas ſibi vindicaret*. Undè elicit ortam Urbicariarum Regionum appellationem,

quarum antiquissima ea est, quæ fit in laudata Lege data VII. Kal. Martias anni 359. uno tantùm Mense antè l. 1. de Calcis Coctorib. V. R., ex qua agnoscitur Urbicariarum nomine quatuor regiones intelligi, quæ sub dispositione Præfecti Urbis fuerunt. Indè itàque effectum, ut nova Italiæ divisio emerserit, quà Jus Præfectorum Prætorio, & Urbi, appellationes spectabat, quatenùs post annum prædictum 357. cæperit appellationum Jus in tota Italia, ea videlicèt regione, quæ extrà centesimum ab Urbe milliarium quaquà versùm extendebatur, ad Præfectum Prætorio spectare, intrà verò centesimum, ad Præfectum Urbi, undè urbicariarum regionum appellatio. Notari autem meretur antè eam legem datam, qua appellationum Jus Præfecto Urbis competens circumscribitur, ad Præfectum eundem appellatum fuisse, non modò ex Sardinia, Sicilia, Campania, Calabria, Brutiis, Piceno, sed & ex Æmilia, Venetia, & cæteris ex Regionibus videlicèt ad Italiæ Vicarium spectantibus. Quî itàque factum est, ut antè eàm Legem appellationum Juri, quò Præfectus Urbi fruebatur, minimè conformata fuerit Romani Episcopi Jurisdictio, sed potiùs illi, quo

præe-

præerat certis Regionibus Vicarius Urbis? Rursùs quomodò antè annum prædictum potuit Romanus Episcopus solis Urbicariis, intrà centesimum videlicèt positis regionibus, præesse, si Italiæ,& Urbicariarum hujusmodì distinctio ex ea, de appellationibus, Lege, emerserit?

VI. Italiæ autèm appellatio multiplex admomodùm est, etiam per ea tempora, quæ Nicænæ Synodo, & Constantino successere. Omnium amplissima illa fuit, qua Italia, veterum, more Provinciis opponitur, seù ad veteris moris similitudinem, à cæteris Provinciis separatur; ità in Cod. Theodos. l. 13. de accusat. l. 2. de integri restit. Eodem sensu Italia, & Alpes distinguuntur l. 1. de Desertoribus. Sic & Italiæ nomine, non modò Continens totum ab Alpibus ad Siculum fretum, sed & Siciliam ipsam intellectam, constat ex allata l. 9. de extraord. celebri apùd doctos Viros in Urbicariarum, seù Suburbicariarum regionum, controversia. Eo sensu Italia nominatur, cùm Italiæ Provinciæ dicuntur, vel indicantur Campania, Tuscia, Picenum, Samnium, Apulia, Calabria, Brutii, & Lucania, utì l. 7. de Indulgent. debit. sed & Urbicariæ, vel Surburbicariæ Ita-

liæ

liæ nomine veniunt l. supralaudata 9. de extraord. similitèr l. 13. de Accusationibus, & Inscript. Judices, qui in fine distinguuntur, videlicèt Præfectus Sedis Urbanæ, & Judices suburbanarum Provinciarum, ac Præsides, Correctores, Consularesque, & Vicarii, in principio indistinctæ dicuntur Judices intrà Italiam. Eòdem referri debet, quòd Præfectus Prætorio ex quatuor alter, Italiæ diceretur, eo enim nomine pro eo quòd Italiam pertinet, omnes Regiones veniunt Jurisdictioni utriusque Vicarii parentes, quod ex notitia Provinciæ Italiæ agnosci potest, ubi decem, & septem dicuntur esse sub dispositione Præfecto Prætorio Italiæ. Contractior ejusdem nominis significatio ea est, qua Regiones Præfecti Urbis subjectæ, intràque centesimum sitæ à reliquis distinguuntur, ut in plerisque allatis Legibus, aliisque Gothofredo numeratis in Indice Topographico, suisque aptè locis in lucubrationibus ad Cod. Theodos. Contractissima demùm ea est, qua septem illæ Provinciæ Vicario Italiæ subditæ, à decem reliquis Vicario Urbis adscriptis distinguuntur, cujus acceptionis exempla afferre, esset in re clarissima supervacuo labore Lectorem fatigare.

A ve-

A veritatis linea itàque abit, qui constantèr, & ubiquè Italiæ vocabulo, apud quarti, quintive Seculi Scriptores lecto, Provincias illas tantùm intelligi debere contendit, quæ Vicario Italiæ subjiciebantur, & fallax omninò Ecclesiasticorum monumentorum intellectum assequendi regula illa est, quotiès de Synodo Italica, de Italiæ Episcopis, vel de Italicis Ecclesiis, verbum incidit, strictissima significatione ad Regiones Vicario Italiæ spectantes hæc coarctare. Nolim nisi ampliori Italiæ notione exempli causa, intelligere illa, quæ communi calculo contractissima intelliguntur, desumpta ex latina Sardicensis Concilii Epistola, quæ intèr Hilarii fragmenta legitur, ubi hæc ad Julium Romanum Pontificem scribuntur. *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta qui in Sicilia, qui in Sardinia, qui in Italia sunt, Fratres nostri, quæ acta sunt, & quæ diffinita cognoscant*. Episcoporum omnium ratio hic habita est, quos de diffinitis in Synodo monitos volunt Patres, non modò intrà Vicarii Italiæ fines, sed in tota Italia degentes, quam ab Insulis Sicilia, Sardiniaque distinguunt; aliàs cur Episcopi Campaniæ, puta, Valeriæ, Umbriæ, cæterique quorum

plures

plures Synodo minimè interfuerant præteriri debuiſſent, nullam rationabilem cauſam afferat quiſpiam. Diverſa itàque acceptione in Synodica hujuſmodì Italiæ nomen accipitur, ac in ejuſdem Sardicenſis Concilii ſubſcriptionibus. Illa amplior; hæc contractiſſima. Ineptè etiam de Italiæ Vicario ſubditis regionibus intelligas, quæ Conſtantino adſcribuntur ab Euſebio, de ejus Auguſti Vita lib. 3. cap. 19. quæque ad Paſchatis celebrationem ſpectant; *idcircò id æquùm, rectumque omnes judicaverunt, quod & vobis placiturum eſſe ſpopondi, ut ſcilicèt quod in Urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam Ægyptum, &c. concordi ſententia obſervatur, id veſtra quoquè prudentia libentibus animis amplectatur*; qui enim Ægypti nomine, non ſolam Ægyptum, ſed Lybiam etiam, Thebaidemque, cæteraſque Præfecto Auguſtali ſubjectas Provincias, intelligimus, cur Italiæ omnís vocabulo, ſolas Vicario Italiæ ſubditas Regíones intelligamus? Frequens fateor Italiæ contractior acceptio eſt apud Athanaſium, illique Synchronos Eccleſiaſticos Scriptores; at illud ex præallatis contendo, minimè exindè effici, ut reliquo Italiæ Tractui ſuum nomen perierit; ſicutì nec

cùm

cùm civili Vicariorum Systemati Athanasii, aliorumve sermo conformatur, elici posse, eodem modo Ecclesiarum Hierarchiam dispositam fuisse. Contrarium huic evincitur ex eo quòd Libr. de Synod. Arimini, & & Seleuciæ ad Orthodoxos, laudatur *Ariminum, quæ Urbs Italiæ*, quippè ad Picenum annonarium spectans, cujus tamèn Episcopus Romanum Metropolitam agnovit, ut scitissimè notavit Eminentissimus Norisius Dissert. de V. Synodo cap. 10. Ità alibi Capua civili methodo Campaniæ Metropolis dicitur, cum Metropolis Ecclesiastica minimè esset; nec enim Campaniæ Episcopi alio jure fruebantur, quàm Lucani, Brutii, Siculique, quos *sinè præcepto Sedis Apostolicæ factas Ecclesias, vel Oratoria sacrare* legitimè haud potuisse indicat Gelasius Ep. 9. Ubi licèt doctissimus Vir Apostolicæ Sedis nomine Metropolitanam Ecclesiam intelligendam contendat, non diffitetur tamèn neminem prætèr Romanum Pontificem per ea tempora, eaque Italiæ parte, Metropolitano jure gavisum.

VII. Verùm, ut ad Italiæ nomen, ejusdemque acceptionem regrediar, cùm ex Constantiniana Imperii divisione evenerit, ut Regiones

nes

nes Vicario alteri parentes, Italiæ speciali nomine sæpiùs significarentur, nequit fieri, ut antè divisionem, & Vicarii duplicis institutionem, Italiæ vocabulum aliud significaverit, quàm integrum illud spatium, quod à Siculo freto ad Alpium radices expanditur. Mirum proindè eximios Viros, & de Ecclesiastica re benemeritos esse, qui antè Constantini tempora id ipsum obtinuisse, contendunt, ut scilicèt cùm in Veterum monumentis, Italiæ nomen legunt, pars illa Italiæ intelligatur, quæ Romana Republica superstite, Gallia Cisalpina dicebatur, antequàm videlicèt, & hæc Italico Jure donata, Italiæ etiam nomen assumpserit. Loca certè, quæ ex profanis Scriptoribus proferuntur id solùm probant, quod Galliæ hujusmodì Italico Jure communicato, nomen etiam Italiæ eidem communicatum sit. Ità universa Italia, quandoquè discreta videtur in Cis, & Transpadanam, licèt Traspadanæ solùm occurrat mentio, utì apud Tacitum loco in superioribus citato, Cispadanæ nunquàm. Verumtamèn quòd transpadanæ Regiones alicubì Italia Transpadana dicantur, non efficit, ut eædem peculiari nomine, Italia sint dictæ. Fateor equidèm videri à non-

nonnullis quarti quintique ſeculi Patribus, & Eccleſiaſticis Scriptoribus, eo ſenſu præcedentium loca quædam intellecta, ut Regiones hujuſmodì Italiæ nomine, à Romana Diœceſi diſtinguant; at id ex ſuorum temporum Typo, & vigente eiſdem temporibus praxi, creditum, non quòd veritati congruerit, arbitror. Res illuſtri exemplo eſt explicanda. Locus eſt apud Euſebium Hiſt. lib. 6. cap. 41. ubi Novati cauſa narratur, quique plures in tranſverſum egit, fecitque, ut Mediolanenſis Epiſcopi jura antiquiora aſſerta ſint, quàm re ipſa fuerint, hìc deſcribendus; *ob quam rem*, inquit Euſebius, *cùm Romæ congregata eſſet Synodus, in qua ſexaginta quidèm Epiſcopi, Presbyteri verò, ac Diaconi multò plures convenerunt: cùmque in Provinciis Antiſtites quid agendum eſſet ſeorsìm conſultaſſent, hujuſmodì Decretum cunctis promulgatum, &c.* & paulò infrà; *extant adhùc Epiſtolæ Cornelii Romanorum Epiſcopi ad Fabium Antiochenſis Eccleſiæ Præſulem miſſæ, in quibus, & Romanæ Synodi geſta, & omnium per Italiam, & Africam, aliaſque locorum illorum Provincias, ſententiæ declarantur. Aliæ præthereà latino Sermone conſcriptæ extant Epiſtolæ Cypriani, & aliorum Antiſtitum,*

tum, qui cum ipso in Africa congregati sunt. Epistolæ autèm Cornelii ad Fabium Antiochensem de Novatiani facinoribus tenore exhibito, his caput claudit; *Sub finem autèm Epistolæ numerum recenset Episcoporum, qui in Urbem Romam convenientes amentiam Novati condemnaverant, nomina quoquè illorum, & quam quisque regebat Ecclesiam adscribens; eorum itèm, qui Romæ quidèm minimè adfuerant, superiorum tamèn Episcoporum sententiam literis suis approbaverant, vocabula simùl, & Civitates, undè singuli literas dederant, accuratè commemorat.* Ex toto Eusebii contextu luce meridiana clariùs apparet, unam tantumodò Synodum, Romanam videlicèt, ex omni Italia collectam; vota verò singulorum Episcoporum, qui ad Synodum Romam venire nequiverant, non in Synodo à Romana diversa uno Decreto edita, sed per diversas Epistolas collata. Cornelius etenìm non Synodos plures in fine Epistolæ laudavit, sed singulorum Episcoporum nomina, & Civitatem, undè literas dederant, adnotavit. His tamèn non obstantibus cùm Hieronymi ævo Italiæ nomine passìm septem Provinciæ illæ intelligerentur, quæ Vicario Italiæ subdebantur, cùm-

cùmquè ob id Eusebium ea, quæ sua ætate vigebat rerum forma, explicaret; Synodum Italiæ habitam in Causa Novatiani à Romana diversam lib. de Script. Ecclesiast. in Cornelio, vel credidit, vel credidisse visus est, ubi hæc habet; *Cornelius scripsit Epistolam ad Flavianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana, Italica, & Africana*. Africanam sub Cypriano expresè celebratam tradit Eusebius, Italicam à Romana diversam haud agnovit. Doctus proindè Vir Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad annum Domini 251. num. 13. postquàm vidit Episcopos absentes per literas seorsìm missas, quid sentirent expressisse, de Synodo ea Italica non liquere, satis ostendit; *undè*, ait, *Concilium Italicum ex Hieronymo conflatum est, an rectè dubito*.

VIII. Porrò Italiæ contractissima illa acceptio, qua Mediolanensis Ecclesiastica Metropolis, & Synodus illa Italica statuminatur, insolens omninò per ea Concilii tempora extitit. Celeberrimi Jurisconsulti, qui pavlò antè ætatem eam scripsere, nunquàm Italiæ voce utuntur, nisi ea significatione, qua integram illam Evropæ partem intelligunt, quæ antiquo more à Provinciis distin-

guebatur. Ulpianus *l. omnia ff. de Officio Præfecti Urbis*, hujus Jurisdictionem extendi ait *extrà Urbem intrà Italiam* allegans Severi ad Fabium Cilonem Epistolam, ac pavlò post Jurisdictionem hujusmodì intrà centesimum coarctat. Quidquid sit de repugnantia, qua hæc laborare existimantur, certùm puto, Regiones intrà centesimum Italiæ nomine venire, & Ulpiano idem esse intrà centesimum, ac intrà Italiam Jus dicere. In Italia esse, & Reipublicæ causa abesse, opponuntur apud Julianum, & Africanum *l. si quis Titio & l. si quis stipulatus ff. ex quibus causis majores*. Ità Italia, & Provinciæ eodem sensu opponuntur Ulpiano *l. Hæres absens ff. de Judiciis §. illud sciendum*. Papinianus ait qui Legationis causa Romam venit (ex Provinciis utìque) ex qualibet causa fidejubere posse, *cùm sit in Italia contractum l. cùm furiosus ff. de Judiciis*. At longùm nimis esset loca omnia afferre, ex quibus liquet Italiæ Vocabulum, quatenùs Regiones Constantiniano Italiæ Vicario parentes significat, antè ejusdem Vicarii institutionem minimè obtinuisse. Illud omitti nequit, haud potuisse Cornelii Pontificis ævo Synodum Italicam à Metropolita

Me-

Mediolanensi cogi; etenim per ea tempora, anno videlicèt 251. vel, ut Baronius, aliique 252. vel 253. difficillimum est Episcopum Mediolanensem invenire, qui Metropolitanum agens, Synodo hujusmodì præsederit. Nisi enim quinque priorum Mediolani Episcoporum vita plus justo producatur, nequit fieri, ut priorum seculorum successio immediata absquè interpontificiis diuturnioribus habeatur. Horum autem longius illud est, quod admitti debet inter Monam, quem decessisse ajunt anno 246., & Materni initia, quamvìs is sub Decio sedere cepisse credatur, & usquè ad Diocletiani tempora perdurasse. Episcoporum porrò Mediolanensium Catalogi varii admodùm, ac inconstantes sunt, sed & eorum nonnulli Monæ Myroclem subdunt, quem sedisse tradunt Annis XXII. Materno, quem successorem Myroclis constituunt annos Episcopatus XII. tribuunt. Doctissimus Vir Papebrochius in Tabula Chronologica Mediolanensium Episcoporum, licèt Monæ Maternum successorem statuat, admittit vacantis Sedis annos XXXVI. ab anno 246. quo Monam obiisse tradit ad annum 282. quo Maternum ordinatum exhi-

 bet,

bet, nec ipsi commodior Chronologiæ Mediolanensium Episcoporum ordinandæ via. Ipse curatissimè sanè, verissimèque ad diem 19. Junii de Sanctis Gervasio, & Protasio agens in Comment. §.4. n.52. probans, quod in Actis S. Syri, aliàs suspectæ fidei, narratur de Ecclesiæ Mediolanensis Clero ordinato à S. Syro unico ab initio fortassis apud Insubres Episcopo, hæc de prioribus Mediolani Episcopis habet. *Neque enim*, inquit, *ea Chronologia, quæ integros* 153. *annos partitur in tres duntaxat Episcopos Castritianum, Calimerum, & Monam sic placere potest, ut non semper verear, ne id gratìs sit factum ad explendum hiatum semèl iterumquè vacantis diù Sedis. Certè in præfatis qualibuscumque Actis, cùm de Sanctorum captivitate, aùt sepultura agitur nulla fit mentio alicujus Episcopi, qui tempore Antonini ac Veri debuisset Calimerus fuisse, ideòque intèr hunc, & S. Castritianum meliùs dicetur vacasse ad plures annos Sedes*. Calimerus Hadriano imperante sedere cæpit si D. Faustini, & Jovitæ Actis fides sit adhibenda, de qua re pavlò post. In tanta autem rerum obscuritate, ac in tanta certitudine diuturniorum hiatuum in Episcoporum Mediolanensium serie, sed & in

evi-

evidenti proſtanteque Italiæ politiæ vario Typo, quo certò certiùs agnoſcimus Vicarii Italiæ in ſeptem Provincias Jus, ex quo Italiæ nomen contractiſſimè acceptum fluxit, nonnisi poſt Conſtantini Ætatem cœpiſſe, quî fieri potuit, ut ex illius Juriſdictionis forma, antè Conſtantini ætatem Epiſcopi Mediolanenſis Metropoliticum jus emerſerit, & Italica Synodus à Romana diverſa haberi potuerit?

IX. Qui itàque ab initio Mediolanum Italiæ Metropolim faciunt, Italiamve anguſtioribus finibus contrahunt, antiqua, novaque miſcere certum eſt; quique à D. Barnabæ prædicatione, qui Eccleſiam illam fundaverit, id juris deducunt, ajunt quidèm, quod Recentiorum plurimis placet, ſed ſinè Veterum teſtimonio loquuntur, quandoquidèm, nil de ea re, quæ tanto conſenſu Poſterioribus eſt aſſerta, invenire eſt in Eccleſiaſticis documentis, quæ uſquè ad octavi Seculi tempora ſunt conſcripta. Celeberrimus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parens, qui Hippoliti Martyris Libello de 72. Diſcipulis credendum cenſuit in notis ad Martyrologium 11. Junii, & complurium Recentiorum multitudine potiùs, quàm auctoritate

ductus, ad annum 51. scribere non dubitavit, ea, quæ circumferuntur de prædicato in Liguria Evangelio per Barnabam, & fundata nobilissima Mediolanense Ecclesia *fide certa, atquè indubitata* constare. At norunt eruditi Hippolito adscriptum Libellum, æquè ac Dorothei nomine inscripta, intèr fabulosa, & supposititia referri debere, quæ proindè, quamvis eisdem fidem plûres adhibuerint, nil efficiunt. Intèr Ecclesiæ Mediolanensis monumenta Barnabam ejus Auctorem probaret Epigraphes, quam Fonti Eustorgiano adscriptam dicunt, si de ea legitimè constaret. Sed nec illud certum esset, Protasii nomen Epigraphi insertum Episcopi esse, qui decimo loco in Catalogis laudatur. Epigraphem ipsam lubet subjicere:

Hunc Fontem tibi dedicat, atquè Deo supèr undis
Consecrat impositam, famulus Protasius aram,
Qua Ticina Silex, & Martia Porta beate
Barnaba, te Ligures adventum supèr in oras
Audiit orantem, cœtus & ritè lavantem.

Recentiorem verò stribiliginem sonat altera Inscriptio, quam Baronius, uti ab antiquissimo Episcopo Myrocle positam exhibet, laudatque ex Manuscripto Commentario

An-

Andreæ Alciati, de rebus patriis inſcripto, quæ eſt hujuſmodì.

D. Ananathaloni Attigo ſecundo Epiſcopo
Petri hoſpes, Sanctequè Anathalon Domne probate,
Atquè idem Socius Barnabæ Apoſtolici,
Qui Mediolani Verbi Myſteria tradens
Te jubet agnatos viſere Cenomanos;
Dùm tua membra metu rigidis ſubducta Tyrannis
Brixia vicino detinet in loculo:
Hic titulum, & picto venerando pariete vultus
Myroclis reddit, præſtitit alma fides
Myrocles Epiſcopus.

Stylum, & corruptæ latinitatis, notas ad recentiora Secula referendas, quis non videat? Ei traditioni nullo modo proſunt Acta S. Syri Ticinenſis Epiſcopi, quæ licèt circà Pauli Diaconi tempora conſcripta, nil de Barnabæ in eas Liguriæ, vel Inſubriæ regiones, adventu habent, ſed omnia Mediolani ordinata, Clerumque diſpoſitum dicunt S. Syri cura. Notabilia ſunt, & Eruditis, olìm in hanc rem perſpecta ſummi Viri D. Ambroſii, ea quæ in concione adversùs Auxentium ſcripta leguntur; *abſit, ut tradam hæreditatem Patrum, hoc eſt hæreditatem Dionyſii, qui in exilio in cauſa fidei defunctus eſt, hæreditatem Evſtorgii Confeſſoris, hæreditatem Myroclis, atquè retrò fidelium Epiſcopo-*

rum. Prodigio simile est, quod & Barnabæ hæreditatem non dixerit, quem Recentiores Ecclesiæ Fundatorem laudant, sed nec de Barnaba, tanquàm Ecclesiæ, ac Metropolis Mediolanensis primo Episcopo, verbum habeat Ambrosius, qui diversis in locis eundem Barnabam laudat. At quid de ea re, ac de Mediolanensis Ecclesiæ initiis statuendum, si Actis Sanctorum Faustini, & Jovitæ fidem adhibeamus? Narratur, quòd Calimeri cujusdam *fidem Beati Martyres explorantes, permissi à Custodibus petierunt à Romano Pontifice, qui eodem tempore occultus ad Catacumbas morabatur, ut Calimero Episcoporum honorem traderet, eumque ad Mediolanensem Populum, qui in Christo crediderat, confortandum dirigeret; quod & factum est.* Passi dicuntur Sancti Martyres Hadriano imperante. At de his plura videnda apud doctissimos Socios Bollandianos ad diem 9. Junii.

X. His ità stantibus, si veritatem amamus, res cò deducitur, ut incerta omninò ea sint, quæ tanto consensu de fundata per Barnabam Mediolanensi Ecclesia, circumferuntur, & statuendum, nullo modo, quod indè eliciunt plures, ex talibus initiis Ecclesiæ ejusdem Me-

Metropolitica jura deduci posse. Mihi aptiùs ad priorum Christianorum ingenium, concludendum videtur, primum Mediolanensem Episcopum, (sivè ille Calimerus fuerit, sivè Anathalon) à Romano Episcopo ordinatum, missumque. Ità ab initio nullum ibì Metropolitici Juris vestigium, sicut nec alibì per Occidentem. Paulatìm licèt extrà Italiæ fines tempore procedente, & Ordinationum, & Synodorum Provincialium jura agnosci cæperint, Italiam tamèn universam sentio unum Romanum Pontificem Ordinatorem, & Synodi unius Præsidem agnovisse. Circà quarti Seculi dimidium conformari cæpit Vicariorum civili politiæ Ecclesiastica Italiæ Disciplina, & quamvìs apud Romanum Episcopum horum ordinandorum Jus perseveraverit, emersere tamèn Metropolitæ plures, intèr quos Vicarii Italiæ causa, qui Mediolani degebat, eminere cæpit ejus Urbis Episcopus, qui ordinandorum Italiæ contractiori acceptione sic dictæ, Episcoporum, & Synodi suæ cogendæ, jus haberet. Metropolitani autem Juris per Regiones Vicario Italiæ subditas certa inditia antè D. Ambrosii tempora, vìx invenire est. Quæ S. Maximo

mo Tavrinensi narrantur de Dionysio Mediolanensi Arianorum Chirographo subscribente, ac de Eusebii Vercellensis stratagemate, quo Arianos elusit, licèt minimè probent, quod Rubeus in Ravennate Historia contendit, Vercellarum videlicèt Episcopum per ea tempora Transpadanæ Italiæ, & Liguriæ Metropolitam fuisse, sed ad ætatis prærogativam, qua Eusebius Dionysio anteibat referenda sint; sufficiunt tamèn, ut agnoscamus eorum neutrum in alterum Metropolitani jura exercuisse; Ariani enim Eusebio eo nomine subscribere neganti, quòd Dionysius antè se subscripsisset, reposuissent, id se meritò fecisse, quòd Dionysius Metropolita Vercellensi suffraganeo præferri debuit. Sola itàque Ætatis prærogativa in his observabatur, qua ab Arianis neglecta, Eusebius artis ejus, qua Dionysii, qui subscripserat, subscriptio rescinderetur, occasionem arripuit. Ariani verò priorem Dionysium subscribere non ob id curarunt, quod Metropolita esset, sed quòd id ab eo potiùs, quàm ab Eusebio obtineri posse cognoverant. Auxentio Ariano Mediolanensi Sedi incubante, latè Hæresis virus per Italiam, Diœcesim videlicèt Vicarii Italiæ,
serpit,

ſerpit, & circumpoſitos Epiſcopos à Catholica Romanaque communione avulſos, occaſione data, & ſuos pſeudoconventus celebraſſe, & ab Auxentio ordinatos fuiſſe, veriſimillimum, immò penè certum ſit. Ambroſius Dei providentia ex Inſubriæ, Liguriæque Præfecto, Epiſcopus creatus, Regionem omnem ad ſanam Doctrinam reduxit, & utì Hieronymus in Chronico ſcripſit ad annum Gratiani XI. *poſt Auxentii ſeràm mortem, Mediolani Ambroſio Epiſcopo conſtituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur.* De ſubacta Hæreſi ipſe in Commentariis in Lucam lib.9.cap.20. eo ferè anno conſcriptis, his ſibi gratulatur; *Diſſenſionum omnium procella deferbuit: cuncti ſecularis cupiditatis ardores, æſtuſque omnes, quibus Italiæ Populus per Judaicæ olìm Arianæ proximæ ſævitatis incendia coquebatur, ſereno jàm ſpiramine temperatur.* Hìnc novi Epiſcopi per Ambroſium ordinati, quæque per Hæreſim diſtractæ fuerant Eccleſiæ, veræ, ſinceræque Fidei prædicatione, Romano Epiſcopo utì par eſt credere annuente, ab eodem Mediolanenſi Epiſcopo ſanam traditionem havrire cæperunt, ac per eum, tanquàm per Metropolitam Eccleſiæ vertici rursùs annecti.

Ex

Ex eiſdem etiàm cauſis potuit Aquilejenſis Metropolitæ Jus cæpiſſe, quod tamèn obſcuriùs ex eorum temporum monumentis eruitur. Certè Auxentio vivente, Valerianus Aquilejenſis Epiſcopus Catholicam rem tuebatur, ſeditque cum Damaſo in Romano Concilio, cujus Synodicam ſervavit Sozomenus lib. 6. cap. 23. Vindicatos fortaſſis à Valeriano ab Ariana Auxentii hæreſi Venetos, Iſtroſque, jure credamus, undè Metropolis ejus primordia, quæ his antiquiora nemo legitimis documentis oſtendet. De Ravennati Eccleſia ſeorsìm agendum eſt.

XI. Ob hæc Magnorum Virorum placitis accedere nequeo, quorum ea mens eſt, antiquiſſimis quidèm temporibus unicuique per omnem Italiam Provinciæ ſuum Metropolitam, ſuamque Synodum fuiſſe, ac in primìs Regionum earum tractui, quæ Vicariis conſtitutis ſpeciali Italiæ nomine veniebant; at Avreliano imperante, cùm anteà Italiæ Epiſcopi ſeorsìm convenirent, Synodum ex Romana, & Italica permixtam convenire cæpiſſe, Pauli Samoſateni ab Eccleſiæ Domo excedere recuſantis, occaſione, cùm Avrelianus de ea re interpellatus præcepit,

cepit, ut *Domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & Urbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent. Ex Eusebio Hist. lib.7.cap.24. Ità cùm id ab Avreliano imperatum occasione unius Causæ fuisset, præjudicio suo Synodum ex Romana, & Italica permixtam constituit antè Nicæni Concilii tempora*, ait insignis, magnique nominis Scriptor; cujus proindè ea mens est, ut pleniori jure Metropolitani frueretur Mediolanensis Episcopus antè Avreliani tempora, quàm post, Synodumque Italicam à Romana diversam satis probatam arbitratur ex uno Hieronymi loco in superioribus expenso, de Synodis in Novatiani Causa Cornelii tempore habitis. Agnoscit equidèm ab ipsa nascentis Ecclesiæ origine Episcopos earum Italiæ regionum, quæ postmodùm Urbis Vicario paruere, non modò in Urbis Synodo convenisse, sed & à Romano Episcopo ordinatos; at nihilominùs, & eas Provincias, suos Metropolitas habuisse ait, qui & ipsi id non obstante à Romano Episcopo ordinarentur; *etenim*, inquit, *cuique Provinciæ suus præesse debet Metropolitanus*. Rem aliàs diffiniendam censet alter insignis, & doctissimus Auctor, qui ad Epist.16. Magni Leonis

nis, hæc mihi transcribenda habet; *Controvertitur*, inquit, *intèr Eruditos, utrùm in Regionibus Urbicariis* (omnes intelligit Romano Metropolitæ subjectas) *singulæ Provinciæ suos haberent Metropolitas, à quibus ipsæ regerentur, consecrarentur Episcopi Provinciales, congregarentur Synodi, & alia Metropolitica jura implerentur. Plurimi affirmant, negant nonnulli. Metropolitanos quidèm si qui fuerint, titulum sinè re habuisse Leonis saltèm tempore pro certo habendum puto, omnes enìm Metropoliticæ dignitatis prærogativas, atquè Officia ad se traxerant Romani Pontifices, annitentibus Augustis, Provincialibus Episcopis conniventibus, qui magno honore ducebant à primæ Sedis Episcopo, omniumque Episcoporum apice dignitatem sumere, non reluctantibus etiàm Metropolitis; qui à Pontificibus Urbis Sacerdotii honorem adepti, ab iisdem toti pendebant*. Hæc verò, quæque in eam rem adjicit Magnus Vir eò tendere videntur, ut adstruant ab initio quidèm in Italia Episcopos fuisse, & re, & nomine Metropolitas; postmodùm verò, & in primìs magni Leonis tempore, nomine tantùm tales extitisse, cùm Romani Pontifices ad se Metropolitanorum Officia traxissent. Porrò rem alitèr pro-

processisse probant, quæ in superioribus deducta sunt, certumque fit, cùm nulli antè Nicænam Synodum in Italia universa Metropolitani agnoscerentur, postmodùm, Pontificum beneficio, & Imperatorum etiam favore Metropolitas emersisse, qui & nomine, & re eo Jure floruere, uti de Mediolanensi, & Aquilejensi est dictum, & de Ravennati, cujus initiis Augustorum gratia admodùm favit, infrà dicetur. Si proindè antè Leonis tempora in reliqua Italia, quàm suburbicariam, sivè Urbicariam dicunt, Metropolitæ fuissent, incredibile est eosdem capite, ut ità dicam, minutos à Romanis Pontificibus, & jure suo privatos, cùm iidem Pontifices alibì intrà ejusdem Italiæ fines, ubì anteà minimè erant, novos Metropolitas constitui concesserint. Leo ille Magnus in primìs, quî Metropolitarum Occidentis, & Italiæ Jura convellere voluisse credatur, cùm id in Byzantinis Episcopis perstringat? Reponi potuisset in eum, quod scripsit ipse Epist.55. *Superbum nimis est, & immoderatum ultrà fines proprios tendere, & antiquitate calcata, alienum Jus velle præripere, atquè ut unius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus*. Vera igitur Doctissimi

mi Tomassini sententia ea est Veter. & Nov. Eccl. Discip. par.2. lib.3. cap.40. nu.9. qua in Causa Novatiani, ne Italiæ omnes Episcopi Romam confluere possent, persecutionis atrocitatem fecisse autumat; nec Avrelianum Pauli Samosateni judicium à Romana Synodo ex Urbis, Italiæque Episcopis expectandum decernentem, *novum Jus* constituisse, *sed ex veteris Juris usu* sanxisse, *quò Episcopi Italiæ cùm Papa ad Romana Concilia adgregarentur*. Dixerat autem ex Leonis sensu fuisse tùnc *Romanum Pontificem unum Siciliæ, Sardiniæ, & ferè universæ Italiæ Metropolitanum*; *ac ità Provincias* Italiæ plerasque *longè strictiùs, quàm cæteræ Romano Præsuli conglutinatas, & diutissimè propriis caruisse Metropolitis*. Tandèm concludit; *apparet ergò Metropoles Mediolanensem, Ravennatem, Syracusanam, Calaritanam institutas posteà* (post Miltiadis videlicèt tempora) *fuisse. Prima videtur emersisse intereà Mediolanensis Metropolis, cujus & Metropolitæ confirmandi potestatem sibi Papa servavit integram. Emersit posteà Metropolita Ravennas, qui Romam pergere, & ibi ordinari tenebatur, ut ex Epistolis constat Gregorii, ex quibus, & illud liquet, cæteris Italiæ Pro-*

vin-

vinciis nullos fuisse Metropolitanos, primumque ipsum misso Pallio ea dignitate exornasse Syracusanum in Sicilia, & Calaritanum in Sardinia Episcopum. Calaritanum, & Aquilejensem (de quo nil hìc Doctissimus Vir) antiquiores Gregorio Pontifice jure sentiunt alii; Metropolitanum in Italia antè Ambrosium, nullus certis asserat documentis.

XII. Me hìc munere meo perfunctum quamvìs credam, qui satìs de Metropolûm Italicarum originibus tractaverim, vitio tamèn mihi verti posse video, quòd nil hucusquè de vexatissimi sexti Nicæni Canonis sensu dixerim, cujus tamèn argumentum ab hucusquè discussis vix separari queat. Age itàque & nos post tot magnorum Virorum lucubrationes, celeberrimæ quæstioni enucleandæ, aliquid pro modulo nostro adjiciamus. Illud autèm in primis certò affirmare ausim, Canonis illius obscuritatem ex Interpretum sententiis magna ex parte fluxisse, & Ruffini interpretationem præ cæteris caliginem eam offudisse, quam Canon ipse minimè habuerat. At si aliàs, ut ritè Veterum scripta intelligantur necesse est ad Scriptorum tempora, opiniones, studia, moresque men-

tem attentè convertere, id certè fieri debet, non modò cùm ejus Canonis sensum assequi volumus, sed & cùm ejusdem Interpretes consulimus, qui diversis temporibus, & in plane varia Ecclesiæ Disciplina, nec non oppositis, contrariisque studiis servientes, Nicænum celeberrimum Canonem explicandum, seù potiùs implicandum assumpsere. Rem proindè adversis ominibus ornandam volunt, qui ut intelligant Romanæ, & Alexandrinæ Ecclesiæ χῆμα quale Nicæno ævo obtinebat, Nicæno Canone utuntur, & ut ejusdem sensum percipiant, non modò Ruffinum, sed & Recentiorum (nec ommissis Græcis in schismatis luto hærentibus) interpretationem, ad suorum temporum, & suarum opinionum normam loquentes, adhibent. Opposito potiùs tramite pergendum est, si quidèm rectè video, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ Typus cognoscendus est, qualis Nicæni Concilii tempore fuit, ut Nicænus Canon intelligatur, quasque subindè variationes hierarchica Ecclesiæ Disciplina sit passa singulorum Interpretum ævo, ut Interpretum eorundem mentem assequamur, & dijudicemus quantùm à vero Canonis sensu aberrent, eive accedant. Plerique

enim

enim horum prò ſuorum temporum, vel ſuarum opinionum præconceptò Syſtemate. Canonem illum explicavere, quod & nunc fieri eſt compertiſſimum. Ne igitùr peccatum idem ipſe peccem, quod alios peccare autumo, ſubſidio eſſe poſſunt, quæ uſquè modò de Eccleſiaſticarum Metropolûm originibus, ac in primìs de Occidentalis Eccleſiæ ab Orientali diverſo Syſtemate, & de Italiæ Metropolitis nonniſi poſt Nicænæ Synodi tempora natis, dicta ſunt. Id itàquè ſummatìm recolendum eſt, ut Nicænus Canon intelligatur. Ut verò Ruffini interpretationem aſſequàmur, qui cæteris poſteriorum temporum, tenebris offundendis Canoni ipſi, Dux fuit, tempora, & Eccleſiarum politia diſpici debent, quibus ille ſcripſit, quamque ille deſcribendam cenſuit. Sicutì autèm fruſtrà ex Nicæno Canone, diſciplinam Ruffinianorum temporum cognoſcere, ſic è converſò incaſsùm, quæ Nicænorum Patrum mens fuerit, à Ruffino diſcere, curaremus.

XIII. Quotquot de Canonis VI. Nicæni ſenſu ſcripſere ſi Launoyum excipias, qua mvls in longè diſſitas ſententias abierint, in id tamèn conſenſere, ut collata cenſerent prima-

rum Eccleſiarum jura, quæ certa ratione convenirent; illud in primìs controverſum, an id, in quo conveniſſe creduntur Metropoliticum eſſet, an Patriarchicum. Launoyus de recta Nic. Can. VI. intelligentia, ubì ad Quæſtionis nodum devenit cap. 4. ſentit comparari quidèm Jura Metropolitanorum, non tamèn quòd paria fuerint, vel ſimilia, ſed quòd unaquæque Eccleſia ſuis moribus, qui antiquo uſu commendarentur, inſiſtere deberet, qualeſcunque tandèm obtinuiſſent. Hinc ex hujuſmodì Canone, nec à Catholicis, nec ab Heterodoxis exculpi poſſe, quod ſuæ cauſæ proſit. Launoyo in pleriſque lubens, volenſque aſſentior, cenſeoque ſuos uniuſcujuſque mores Eccleſiæ commendari; at ſpeciali modo Alexandrinam, & Romanam Eccleſiam eo nomine collatas quòd parili more utriuſque Epiſcopus plurium Provinciarum curam gereret, negari nequit, niſi Canonis verbis vim inferamus. Tria autem, ſi quid rectè video Canone illo edicuntur. Primùm Alexandrino Epiſcopo veteres mores aſſeruntur, quibus plurium Provinciarum poteſtatem habebat, quòd Romano Epiſcopo parilis mos eſſet. *Antiqua conſvetudo ſervetur per Ægyptum, Ly-*

Lybiam, & Pentapolim, itaùt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quià & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Secundò Antiocheno in primìs, cæteris deindè Metropolitis prò singulorum modo sua privilegia diversa indicantur, & confirmantur, haud tamèn cum Romanis conferuntur. *Similitèr autem, & apùd Antiochiam, cæterasque Provincias suis Privilegia serventur Ecclesiis.* Tandèm quod omnibus Metropolitis commune est observandum sancitur, nullum videlicèt Episcopum ordinari posse, nisi ex Metropolitani sententia. *Illud autèm generalitèr clarum est; quòd si quis prætèr sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc Magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere.* At nonne Antiochenus etiam Episcopus plurium Provinciarum curam gessit, omniumque eorum habuit potestatem? Planè id ex hujus Canonis sensu Innocentius primus Ep. 18. cap. 1. affirmavit. *Revolventes authoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per Orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum de Antiochena Ecclesia .... supèr Diœcesim suam, non supèr aliquam Provinciam prædictam Ecclesiam recognoscimus constitutam*, cum cæteris quæ se-

quuntur. Ità & Hieronymus contrà Johannem Hierosolymitanum scripserat eodem sensu, Nicæno Canone citato, Palæstinæ Cæsaream, totius verò Orientis Antiochiam Metropolim esse. Ut quid igitùr specialis Romanæ, & Alexandrinæ Ecclesiæ comparatio instituitur, si cum illis Antiochena etiam plurium Provinciarum curam gerebat? Ejus rei ratio aliundè quàm ab ipso Canone petenda est. Antè Nicæni Concilii ætatem cæperat (quod suprà ostensum est) in Oriente potissimùm, primarum Sedium jus civili politiæ conformari, indèque emerserat, ut cujuslibet Metropolis civilis Episcopus, Primi in ea Provincia, sivè Metropolitæ jura sibi vindicaret, & eodem prætextu ab ejus Episcopi jurisdictione divelli curaret, quem Ordinationis, & Synodorum ratione à nascentis Ecclesiæ temporibus primum agnoverat. Indè dissidiorum, & Litium ingens messis, quibus sedandis Synodus Nicæna insudavit. Hujusmodì tamèn Metropolûm civilium Episcoporum conatibus, minimè ubiquè successus responderant, nec omnes æquè votorum suorum compotes facti fuerant, novique Provinciarum Metropolitæ ab antiquissimis Diœce-

sewn

sean, quibus paruerant impari potestate adepta, diversa mensura sejungebatur. Nonnullis, quibus plurium annorum præscriptione, jus tandèm aliquod quæsitum videbatur, ità priori suo Metropolitæ parebant, ut in plurimis minimè eum audirent; alii è contrà licèt, ob Metropolis civilis ubì degebant prærogativam, nonnihìl suprà Comprovinciales Episcopos eminerent, nil tamèn absquè Metropolitæ Diœcesani sententia agebant, & nil ferè præter honorem quendam loci assecuti fuerant. Indè impari potestate Patriarchæ, & Exarchæ, cæterique Orientalis Ecclesiæ Autocephali emersere; cùm enim impossibile esset novorum Metropolitanorum Jus recèns inductum absquè turbis tollere, & aliundè vetera primarum Sedium Jura servari deberent, res à Nicæna Synodo ità est composita, ut quo loco tunc erant Metropolitæ, sivè veteres, sivè recentiores, eo perseverarent, ità tamèn, ut primarum Sedium mores, & privilegia vetustate consecrata, illibata durarent.

XIV. Intèr omnes autèm Orientales, nulla feliciùs sua jura servaverat Ecclesia, & à recentiorum Metropolitanorum ausibus immunior remanserat, Alexandrina. Quam-

vìs enim negari nequeat nonnihil Metropolitici ex Veterum lectione in Ægyptiaca Diœcesi Nicænis temporibus deprehendi, clara tamèn sunt, quæ summam, plenissimam, singularemque Alexandrini Episcopi Jurisdictionem in omnes, singulasque cujuslibet Provinciæ Ecclesias adstruunt, quam nec Antiochenus, nec Orientis Exarchæ ea saltèm Ætate habuere. Singulare hujusmodì Jus satìs exprimit Epiphanius Hæres. 78. cap. 1. *Hic enim*, inquit, *mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Lybiam, Ammonitidem, ac Pentapolim, Ecclesiastica negotia administrent.* His Epiphanii verbis illud perspicuè constat, plenum hujusmodì jus Ecclesiasticorum negotiorum per Ægyptiacæ Diœcesis Provincias, singularem Alexandrinæ Ecclesiæ morem fuisse, cæterisque Orientis primis Sedibus minimè communem, eoque Alexandrinum non Episcoporum modò ordinationes, sed & quælibet alia Ecclesiastica negotia curasse; quarè, & inferiorum Clericorum causas, absquè Metropolitanorum medio cognoscere potuisse, aliaque hujusmodì agere, quæ aliàs Metropolitani Juris sunt,

ſunt, quarè in univerſam Diœceſim Metropolitano jurè utebatur. Morinus lib. 1. Exercitat 25. in fine, ex pluribus Synesii Epiſtolis evincit Epiſcopum eundem Cyrenes, Pentapoleos, & totius Cyrenaicæ, *ex ſpeciali* Alexandrini Metropolitæ *deſignatione, & commendatione* curam geſſiſſe. Ex Epiphanio etiàm advertit id in primìs à Petro Alexandrino pro Thebaide non modò, ſed & pro tota Diœceſi Meletio commiſſum, qui proindè intèr omnes Ægypti Epiſcopos facilè primas obtineret; *videbatur autem*, inquit Epiphanius, *Meletius praeminere intèr Epiſcopos Ægypti, ut qui ſecundum locum habebat poſt Petrum in Archiepiſcopatu, velùt adivandi ejus gratia ſub ipſo exiſtens, & ſub ipſo Eccleſiaſtica curans.* Pendebat igitùr ex Alexandrini Epiſcopi arbitrio omnis Juriſdictio eorum, qui ob ejus deſignationem Primi, ſivè Metropolitæ in ſingulis Provinciis, cæteris præeminebant, & ipſius erat, Jus hujuſmodì, vel ampliùs tribuere, vel intrà certos fines caſtigare. Indè autèm, & Meletii Schiſma, & Canonis XI. occaſio, quòd ille tradita poteſtate abuſus fuiſſet, quique, & Thebaidis primus Epiſcopus, & in tota Diœceſi ſecundum locum nactus eſſet ex

Ale-

Alexandrini Episcopi designatione, & sibi quos vellet ordinandi potestatem competere contendisset, & singularum Provinciarum Episcopis illis, quos Primos Petrus designaverat, eadem contrà veterem morem audendi auctor fuisset, ex eo fortassis, quòd hæc agerent in cæteris Orientalibus Ecclesiis Metropolitæ. Cæterùm, qui per hunc sextum Canonem mores, & Jura ad Episcoporum in primìs ordinationes spectantes servandi edicantur, ex ipsa Epistola ejusdem Nicænæ Synodi intelligi facilè potest, quam ad Alexandrinam Ecclesiam, Fratresque Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim incolentes scriptam exhibent Theodor. lib. 1. cap. 9. & Socrates lib. 1. cap. 6. quæque sola, & Ecclesiæ Alexandrinæ Systemati, & Canoni Nicæno intelligendis sufficere potest, & proindè licèt prolixior hìc integra describenda est, quà de Ordinatis à Meletio, ritèque post hæc in tota Diœcesi ordinandis agitur; hæc autem ibi præscribuntur. *Illi autèm, qui à Meletio Presbyteri designati sunt, simùl atque sanctiori ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur, nimirùm, ut Ecclesiasticæ dignitatis, & Ministerii gradum ha-*

habeant illi quidèm, sed tamèn omnibus Presbyteris in singulis Provinciis, & Ecclesiis versantibus, qui sunt ab honoratissimo Viro, & Collega nostro Alexandro ordinati, sint omninò inferiores. Quìn etiam, ut nulla illis potestas sit eos Ministros Ecclesiæ designandi, qui ipsorum probentur arbitrio, nequè nominationem penès se habeant eorum, qui sint ad Ecclesiæ munera obeunda deligendi, nequè quidquam absquè consensu Episcoporum Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, qui sub ipso Alexandro sunt, omninò transigant. Hi autèm, qui Dei gratia, & vestris precibus adiuti ad nullum schisma deflexisse comperti sunt, sed se intrà Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ fines ab eorum labe vacuos continuerint, authoritatem habeant, tùm Ministros ordinandi, tùm eos, qui Clero digni fuerint nominandi, tùm deniquè omnia ex lege, & Instituto Ecclesiastico, liberè exequendi. Quod si quispiam fortè eorum, qui Ecclesiæ funguntur muneribus diem suum obierit, tùnc unus ex illis, qui nupèr in Ecclesiam adsciti sunt modò idoneus videatur, & Populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur, atquè adeò Populi electionem confirmet, in locum succedat demortui. Horum tenore manifestò constat omnia Alexandrini Episcopi nutu peracta in

in quibuslibet Ecclesiis, aut Provinciis. Provinciæ autem, & Ecclesiæ distinguuntur, ut indicentur alia Ecclesiastica negotia singularum Ecclesiarum fuisse, alia Provincialia, quæ proindè per eum, quem in Provincia primum Episcopum voluisset Alexandrinus, transigerentur. Cæterùm Episcopos omnes à Plebe electos, ab Episcopis nominatos, ab Alexandrino autem Episcopo ordinatos, apertissimè agnoscimus; Schismatis autem rationem in eo stetisse, quòd, utì Sozom. lib. 1. cap. 23. perspicuè tradit, Meletiani suo arbitrio ordinationem, & Ministrorum Ecclesiarum designationes independentèr ab Alexandrino Metropolita fieri debere voluissent, quos proindè sanctiori ordinatione confirmatos vult S. Nicæna Synodus Ordinatis ab Alexandrino subesse, nec quidquam posse absquè horum consensu. Cùm autèm hæc specialitèr, & seorsìm soli Alexandrinæ Diœcesi conscripta sint, manifestè evincitur, plenam hujusmodi, summamquè Jurisdictionem singularem fuisse, nec eam cæteras Orientis Ecclesias in moribus habuisse. In Antiocheni Episcopi Diœcesi certè usquè ad Innocentii primi tempora id in moribus fuisse, ut plures Metropo-

litæ

litæ, Episcopos ordinarent *suo arbitratu*, indicat ipse idem Pontifex, qui Ep. 18. cap. 1. ubi Nicænum Canonem extendit, quæque in eam diem facta fuerant, in posterùm minimè fieri debere cavet: *Itàque arbitramur Frater charissime ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sinè permissu, conscientiaque tua sinas Episcopos procreari; in quibus hunc modum rectè servabis, ut longè positos, literis datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu, vicinos autèm si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire.*

XV. Mos hujusmodì Alexandrinæ Ecclesiæ in Oriente ob inductas passìm Metropolitanorum recentiorum novitates, nullius alterius Ecclesiæ Exemplo sustineri poterat. Antiquissimæ igitur, omniumque primæ, Romanæ videlicèt, producto systemate, legitimo jure niti Canon Nicænus edixit. Nullum ab initio in Occidente Metropolitam fuisse, sed omnes longè, latèque fundatas Ecclesias unum Romanum agnovisse Episcopum Metropolitam, pluribus in superiobus probatum est. Qui igitur Nicænæ Synodi ævo Metropolitæ Occidentales erant, Romanos Pontifices auctores agnoscebant,

qui

qui quòd in dissitis Provinciis ordinare in demortuorum locum Episcopos immediatè minimè poterant, re Christiana amplificata, & cætera negotia Ecclesiastica curare, id certis Episcopis demandandum censuerunt, qui suo nomine illud peragerent, aliaque curarent. Id alicubì Missis, qui Gentes converterent commissum est, & ab initio datum, ut Ecclesiarum, quas Deo congregassent Primi essent Episcopi, qui circumpositos Romani Pontificis auctoritate ordinarent, dirigerentque, inter quos S. Trophimum Arelatensibus missum laudat Zosimus Ep. 8. Fiebant itàque Pontificis Romani nutu omnia in Occidentali Ecclesia Nicænæ Synodi tempore, unusque Romanus Episcopus ab Apostolorum institutione vel per se, ut in Italia omni, vel per à se designatos, agebat. Juris hujusmodi exercitium post Nicænum Concilium ipsa Vicariorum Romanæ Sedis institutio fuit; nec enim assentiri possum his, qui ità inter Metropolitas Occidentis, & Vicarios distinguunt, ut illos jure usos dicant, quod ab Apostolis acceperant, hos autem potestate quam à Romanis Episcopis habuerint. Cùm enim per Vicariorum institutionem

Me-

Metropolitanorum jurisdictio immutata, fuerit, manifestum fit, eorundem potestatem à Romano Episcopo acceptam, quam, & prò arbitrio minuere, vel augere potuerit. Totius etiam Occidentalis Ecclesiæ Episcopos speciali quodam jure ex Romani nutu dependisse, Jus illud ostendit, quod & postmodùm semper exercuit, Synodum Occidentalem cogendi, qua de re videndus Morinus Exercit. 20. ubì de Patriarchali Occidentalis Ecclesiæ Synodo. Similis itàque admodùm Romani Episcopi juri, quod in Occidentales Provincias exercebat, jus Alexandrini, quo plures Ægyptiacæ Diœcesis Provincias regebat, disimilis verò cæterorum Orientalium Metropolitanorum Jurisdictioni. Ea autem in re, si quæratur per Nicænum Canonem quodnam Alexandrini, & Romani Episcopi jus conferatur, an Metropolitanum, an Patriarchale; respondendum est Metropolitanum cum Metropolitano comparari, at non Metropolitanum utcùmque, sed Metropolitanum ad plures Provincias diffusum, cujus per ea tempora nullus ea plenitudine fruebatur, quæ ad Romanam accederet, in Oriente, pratèr Alexandrinum. Huic Antioche-

nus

nus proximè accedebat, at cùm Metropolitis inferioribus adhùc recens inductum jus ordinationum perseveraret independens, quippè ut Innocentius loquitur Episcopos hi *suo arbitratu* initiabant, iidem nullam querimoniæ causam habebant, cùm quod prætendebatur unicuique Provinciæ suus Metropolitanus, qui Ecclesiastica negotia curaret, existeret. Metropoliticum itàque Antiocheni Jus extrà suam Provinciam minimè extendebatur, illudque, quo in plures Provincias Ecclesiasticam solicitudinem exercuit, certis limitibus sistebatur, qui nonnisì quarto ad finem vergente seculo ablati sunt, Patriarcharum, & Exarcharum nominibus, juribusque introductis, mutataque in multis & conformata civili politiæ Ecclesiastica Disciplina. Romanorum itàque Pontificum liberalitate, cùm & intrà Italiæ fines Metropolitæ sint instituti, tributaque eisdem Synodorum, & Ordinationum libera in suis Provinciis facultas, Alexandrini, & Romani Metropolitæ comparatio cæpit subobscurior fieri, quippè Provinciæ plures, quæ huic subjiciebantur, illæ tandem erant, quæ Urbis Vicario parebant, avulsis à Romana Metropoli, Mediolanensi, Aquilejensi

jensi, Ravennatique Metropoli.

XVI. Porrò nullus dubito simplici hocce, & si quidèm rectè video, genuino Canonis Nicæni sensu ad eorum temporum, quibus conditus fuit disciplinam comparato, nulla consecutis Ætatibus obscuritas irrepsisset, nisi iis studiis in posterùm laboratum esset, quibus Interpretes illum ad suorum temporum mores trahere conati sunt. Ruffinus omnium primus peccatum hujusmodi peccavit, cùm enìm Alexandrini Episcopi Jura Patriarchalia minimè impedirent, quìn adhùc, ut Nicænæ Synodi tempore, omnium Provinciarum ordinationes cognosceret; in Occidentali autem Ecclesia, & in ipsa Italia Metropolitani suos Episcopos ordinarent, undè Patriarchalium jurium comparatio iniri nequibat; & cùm nec Metropolitica conferri possent, quæ in Alexandrino, adhùc ad plurium Provinciarum Episcopos, qui suos Metropolitanos agnoscebant, extendebantur; in Romano autem, crederet ad solas Vicario Urbis subditas Provincias extendi, ipse, qui uni ex Italicis recentioribus Metropolitis, Aquilejensi videlicèt, Diaconus adscribebatur; id unum cogitàvit, ut Italiam contractiori acceptione nuncupa-

tam à Metropoli Romana separaret. Rem igitur implicito admodùm dicendi genere (ob quòd millenis injuriarum plaustris apud Catholicos quammaximè Auctores vapulavit) Ægyptum, cujus nomine, & Provinciam, & Diœcesim intelligas, ac suburbicarias Ecclesias comparavit, quæ an intrà centesimum, an intrà Vicarii Urbis Jurisdictionem clauderentur, an longiùs per totum Occidentem essent, diù acerrimis disputationibus quæsitum est. *Et ut apùd Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.* At quo bono tanta animorum contentione, quid Ruffinus suburbicariarum nomine intellexerit, quæsitum? Planè id non Nicæni Canonis, sed Ruffini sensum investigare est. Mutata autèm Ecclesiastica politia, nec ipse Ruffinus intelligi potest, nisi studiis partium depositis, aliundè, quæ tunc Ecclesiarum Hierarchia, quibusque ipse Ruffinus studiis duceretur, præcognoscatur. Id autèm cùm præcognoscere neglexerint doctissimi Viri tùm Catholicæ communionis, tùm Heterodoxarum partium, voluerintque ex Ruffino, non modò ejus temporis disci-

pli-

plinam, sed & Nicæni Canonis sensum intelligere, incassùm, frustràque laboraverunt. Spectata itàque Ruffinianorum temporum Ecclesiæ Romanæ Hierarchica per Occidentem disciplina, Ruffinus minimè potuit Patriarchalia Jura comparare, quandoquidèm aliundè indubitatis eorum temporum monumentis constat, institutis Apostolicæ Sedis Vicariis, exortis intrà Italiæ fines Metropolibus, concessaque ex Romanorum Pontificum liberalitate Occidentalibus Metropolitis ampliori facultate, ac demùm ad Orientalium exemplar pluribus ad civilem politiam conformatis, in multis Patriarchatum Occidentalem, ab Alexandrino, qui adhùc per totam Diœcesim Metropolitanorùm jure utebatur, abiisse. At potuit ne Ruffinus idem (quæ priori opposita sententia) suburbicariarum Ecclesiarum nomine, Ecclesias regionum earum intelligere, quæ Urbicariæ frequentiùs in Theodosiano potissimùm Codice dicuntur, & ab annonariis distinctæ, intrà centesimum ab Urbe milliarium Urbis Præfecto subjiciebantur? Nullo modo. Etenìm quî ignoraverit ille quod nos non latet, Romano scilicèt Metropolitæ per ea tempora Provincias omnes subje-

ctas fuisse, quæ Urbis Vicario parebant, concessis Italicis Metropolibus, reliquis, quas Italiæ Vicarius regebat? Reliquum itàque est, ut ambigua illa suburbicariarum Ecclesiarum voce, plurium Provinciarum Ecclesias illas intellexerit, quæ alicubì, sivè intrà, vel extrà centesimum, sivè in Italia, sivè alibì sitæ Romano Pontifici tanquàm Metropolitæ obediebant, sicutì Ægyptiacæ Provinciæ, vel Diœcesis (si tales erant alicubì extrà illius specialem Provinciam) Ecclesiæ, Alexandrinum Episcopum utì Metropolitam agnoscebant.

XVII. Eo autem sensu Ruffinum arbitror suburbicarias Ecclesias nominasse, quo Græci Canonum Collectores easdem ὑπὸ τὴν Ῥώμην vocant. Frustrà enim Vir aliàs Doctissimus contendit, id eo sensu scriptum, quo Basilicarum Interpretes, Præfecti Urbis Jurisdictionem centenario ab Urbe milliario diffinientes, dixere eundem ἐν τῇ πόλει, καὶ τοῖς ὑπὸ τὴν πόλιν potestatem habuisse. Etenìm Collectorum Græcorum plures eo tempore scripserunt, cùm Romani Episcopi notissima erat jurisdictio, obscura verò Præfecti Urbis, & suburbicariarum Regionum notitia. At illud idem Scriptor fatetur τὰ ὑπὸ πόλιν,

λλω, ἢ ὑπὸ πόλει apud Græcos Canonum Interpretes, non modò quæ Urbi adiacent, ſed & quæ Urbis dominationi ſubduntur, ſignificare. Non erat itàque cur in ſuam ſententiam urgeret hujuſmodì loca, ut ſuburbicarias Ruffini Eccleſias ſtrictiſſimo ſenſu intelligeret, & ad ſignificandas, quæ intrà centeſimum ſitæ erant, coarctaret. Porrò nec Antiocheni Concilii Can. 9. quem allegat, jubens, Epiſcopos providentiam habere, πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, ſignificat Regionem Urbi adiacentem, ſed eam univerſam indicat, quæ Urbi ipſi ſubditur. Eodem itàque ſenſu Ruffinus ſuburbicariarum nomine eas intellexit, quæ Urbis Metropoli ſubjiciebantur, Eccleſias; & fortaſsè verbo tenùs ſecutus eſt Canonis ejuſdem Græcum quempiam Interpretem, qui Ariſtini præiverit Synopſi, quiquè Eccleſias ὑπὸ Ῥώμην illas dixerit, quas Ruffinus latinè vertendas cenſuit, ſuburbicarias. Nec felicioribus avibus Arabico Canonis ejuſdem Interprete, utitur laudatus Auctor, quòd ferat *Epiſcopum Urbis Romæ, ideſt Succeſſorem Petri Apoſtoli poteſtatem habere omnium Civitatum, & locorum, quæ circà eam ſunt*. Cùm idem de Alexandrino Epiſcopo ferat con-

stitutum esse, *ut* videlicèt, *Episcopus Ægypti, idest Patriarcha Alexandrinus præsideat, & habeat potestatem totius Ægypti, & omnium Castellorum, & Civitatum, quæ sunt circùm eam*. Sicùt enim non consequitur, haud Alexandrino Episcopo subjectas fuisse Civitatum, & Castellorum Ecclesias in Diœcesi, quæ Ægypti Provinciæ non adiacebant, subjiciebantur enim longissimè dissitæ omnes, Libyæ, Thebaidisque, & cæteræ; ità cùm de Romani Episcopi Jure agit, non Urbicarias modò, sivè intrà Centesimum sitas Ecclesias, sed quaslibet longiùs etiam dissitas intelligere tàm certum est, quàm quod certissimum. Potuere sanè, & Ruffinus, & Græci hujusmodì Interpretes clarioribus verbis animi sensa explicare; at ambiguis vocibus illos uti voluisse autumo, quòd cùm ageretur de singularum Ecclesiarum Juribus, & periculo plena res esset, ostenso legitimo Canonis Nicæni intellectu, exhibere, quantùm Orientales, suæque fortassis cujusque Interpretis Ecclesiæ, ex alienis Juribus usurpassent, maluerunt eo scribendi stylo interpretes agere, quem singuli è re sua rursùs interpretari possent. Longum autem hìc esset, & ab ea, qua decet moderatio-

ne

ne alienum, plura adjicere, quibus facilè probari posset, omnium temporum fuisse Nicænum Canonem violare, eidemque sensus à verò diversos assuere, quibus Canon ipse usurpati Juris Patronus effici queat. Id probè, me tacente, videat eruditus, sincerusque Lector, qui vetera non modò, sed recentia Ecclesiarum dissidia in causa esse cognoscet, cur plures partium studiis distracti videntes non videant, quæque Dei Optimi Maximi Providentia post tot Clades, & secula, servata sunt, Veterum monumenta legentes, non intelligant. Mihi hæc indicasse sufficiat.





PARS TERTIA

De Ravennatis Ecclesiæ Metropolitano Jure, ejusque initiis.

I. PAucis tertia hæc Dissertationis Pars absolvenda remanet; quid enim de Metropolitani Ravennæ Juris initiis dicendum sit, ex allatis constat. Seriùs videlicèt ea constituenda esse, quàm crediderint non modò Ecclesiæ ejusdem Historici, inter quos primas tenet Hieronymus Rubeus, sed & alii majorum gentium Scriptores, Salmasius, Marca, aliique. Eminentissimus Norisius suo more, doctissimè videlicèt, argumentum ornavit Differt. de V. Synodo cap. 10. ubi ex D. Petri Chrisologi Sermone 175. habito in Marcellini Vicohabentini Episcopi ordinatione, ostendere intendit, tùnc primùm, Ravennatem Ecclesiam Metropolitano Jure ornatam, nec diffitetur id Principum Ravennæ degen-

degentium favore obtentum, licèt cum Baronio Diplomatis Ualentiniano adscripti à Rubeo, & ab Ughello relati, discriptique, falsitatem agnoscat. Mihi aliquid argumento eidem addendi onus incumbit, cùm Dissertationis hujus scribendæ Agnellus Ravennas, Seculi noni scriptor ineditus, occasionem effecerit, ubi de Metropolitano Jure Ravennati Ecclesiæ tributo scribit ea, quæ Rubeo (quod ipse fatetur) perspecta, mirum est Scriptorem aliàs optimum, laudatissimumque, à præconcepta opinione non liberasse, qua Metropolitanum Ravennæ decus usquè à D. Apollinaris ævo, trahere non dubitavit.

II. Agnellus ipse proindè hac in re audiri debet. Is ubi vitam Johannis cognomento Angeloptis, qui immediatè Petrum Chrisologum præcessit, pluribus narrat, hæc intèr cætera habet. *Valentinianus Serenissimus, ex Patre Constantio Gallæ Placidiæ filius, ad Sanctum Pontificem properavit Johannem, & excusso diademate capitis, vocum metu, & reverentia salutavit, atquè ab eo benedictione percepta, billari vultu recessit. Non post multos dies idem Augustus sub consecratione B. Antistitis Johannis XIV. Civitates, cùm suis Ecclesiis*

fiis largitus archieratica poteſtate, & uſquè in præſentem diem XIV. Civitates cum Epiſcopis ſub Ravennæ Eccleſia redactæ ſunt; una verò Epiſcopalis Cathedra Civitate deſtructa, deeſt, cujus vocabulum Brintum dicitur, non longè à Bononienſi Urbe. Ipſe primus ab Auguſto Pallium ex candida lana accepit, ut mos eſt Romanorum Pontifici ſupèr duplo idem induere, quo uſus eſt ipſe, & Succeſſores ſui uſquè in præſentem diem. Hæc Agnellus. Plura diſcutienda hic eſſent de Johannis hujus intèr Ravennates Epiſcopos celeberrimi ætate; at ea cùm longiùs à præſenti argumento diſtent, diffuſiori calamo tractata in Diſſertationibus Agnelliano Operi adjectis, quæ prælo dudùm parata, quàndoquè publici Juris fient. Nunc monere ſufficiat, mihi, qui multiplices difficultates, quibus Eccleſiæ Ravennatis Chronologia abundat ſeriò perpenderim, probabiliùs videri Johannem hunc anno 432. ſedere cæpiſſe, tranſiiſſe autèm ad Superos anno 439. cui immediatè ſucceſſerit Petrus cognomento Chriſologus.

III. Rubeus Hiſt. Ravennatis lib. 2. pag. 97. ex Tabulario Urſianæ Eccleſiæ, & ex autographo vetuſtate aliquot in locis corrupto,

Impe-

Imperatoris Valentiniani Privilegium transcripsit, ac ex eo Ughellus de Episcopis Ravennatibus agens, licèt hic cum Baronio Documentum intèr suppostititia referat. Integrum cùm ipse habeam ex eodem Codice Estensis Bibliothecæ, in quo Agnelli Pontificale continetur, gratum fore Lectoribus credo, si mercem hujusmodì, lacunis minimè mancam, & alicubì ab editis syntaxi diversam, rursùs exhibeam. En illam. *In nomine Dei Salvatoris Nostri Jesu Christi. Flavius Valentinianus fidelis in Jesu Christo Major, Imperator Augustus Johanni Viro Sanctissimo Archiepiscopo Ravennæ Civitatis. Si Redemptoris nostri plena pietate, Clementia dignos suæ Majestatis honorificat Sacerdotes, & charismatum dono clarificat, quantò magìs nos, qui ab ejus pietate regalia sceptra gubernanda suscepimus, cultum Religionis, & reverentiæ honorificentiam debemus impendere, eis maximè, qui virtutum experimento Deo cognoscimus propinquantes, undè illis etiàm crescat augumentum, undè eos probabilitèr Dei clementiam pro nostra salute impetrare confidimus? At proindè Imperiali auctoritate* SANCIMUS *Sanctitatem tuam, & Sanctam tuam Ravennatem Ecclesiam, atquè universos post eam*

eam Deo amabiles Præsules, Archieratica dignitate erectam, Metropolitæ decore sublimandam, seù Archiepiscopali fastigio terribilitèr præponendam. Constituentes sub sacrosanctæ ejus Ecclesiæ ditione ordinationem totius Æmiliæ Provinciæ nostræ, omnium Deo amabilium Episcoporum creationes, idèst Sassen. Cæsen. Forum populi, Forolivi, Faventiæ, Forumcorneli, Bononiæ, Mutinæ, Regii, Parmæ, Placentiæ, Brixilli, Vicobabentiæ, Adriensis, omniumque Monasteriorum sub ejus dispositione rejacentium, & in eis Servientium Monachorum. Conferentes ob decorem Apostolicæ dignitatis, honorem Palei, & omnis Pontificalis decoris usum, sicùt etiàm sub nostra Christianissima Republica fruuntùr Metropolitæ. Condecet enim nos honorem Sacerdotii efficacitèr procurare, & maximè ubi serenitatis nostræ præsentia fulget, quatenùs securitate suffulta Sanctitas tua, sanctaque tua in perpetuum Ecclesia, cùm meritis virtutum honoribus, etiàm nostræ Serenitatis dono, & in posterùm fulgeat. Fiat. Literæ Imperatoris. Datum VII. Idus Januarii.

IV. Baronius Privilegium hocce meritò, utì suppositititium, fideique indignum pluribus explodit ad annum 432. & censet schismatis tem-

tempore, quo diù Ravennas Ecclesia laboravit, confictum fuisse. Et sanè optima id crisi Eruditissimi Viri argumenta evincunt petita ex insolenti inscriptione, qua Valentinianus, ut ajunt, Constantii Filius, & Placidiæ, se absquè Imperii Consorte, Augustum nominat, Majoremque dicit, quod quid sibi velit ignoratur. Itèm ex nonnullis in documento recensitis Ecclesiis Leonis I. Papæ ævo ad Mediolanensem Metropolim spectantibus. In editione Romana (obitèr dictum) sphalma Tipographi notandum, quo pro Mariniano Gregorio Magno synchrono, perperàm Maximianus laudatur, ubi doctissimus Scriptor de Pallii usu differit. Baronii argumentis alia addi posse videntur, ut putà, Archiepiscopi titulum Valentiniani laudati ævo raró usurpatum, & seriùs multò eo usos Ravennates Metropolitas probari, ex iisdem, Conciliorum Actibus se subscribentibus, ac ex veteribus eorundem monumentis Agnello frequentèr exhibitis. Quod pertinet ad Majoris titulum, quo se Valentinianus hic suppostitius vocat, ex eo mihi videor intelligere, Impostorem intendisse non tertio, sed primo ejus nominis Augusto spurium

Do-

Documentum ſupponere, ad captandam vetuſtioris antiquitatis laudem, eundem enim Majorem dixit Paulus Diaconus lib. 12. aliique. Recentiorem ideò quàm Baronius credidit, Privilegii hujus Auctorem exiſtimo: quique ex laudato Paulo Majoris titulum Valentiniano affigendi exemplum nanciſci potuerit. Prætereà certiora hujus rei argumenta Agnellus ipſe ſuggerit, etenìm manifeſtò apparet ea, quæ de Valentiniani aſſerto Privilegio tradit Is, non congruere cum allato Urſianæ Eccleſiæ documento Agnello proindè incognito. In hoc etenìm nulla de Civitate illa Brinto non longè à Bononienſi Urbe ſita, mentio habetur, quam antè ſua tempora Agnellus ipſe defeciſſe narrat, & Ravennati etiam Anonymo illi Geographo, quem publici Juris fecit noſter doctus Placidus Porcheronius, prætermiſſa cùm ſit, & hic ſeculo ſeptimo ſcripſerit, efficitur diverſa admodùm, & tempore, & rebus contentis, fuiſſe hæc Privilegia. Cæterùm Brintanam Urbem Ferrarius in Lexico cenſet fuiſſe in Monte apùd Idiſim Fluvium, Bononia duodecim milliaribus in meridiem diſtantem, nullum tamèn ejus rei teſtem allegat. Privilegium itàque deſcri-

descriptum ſuppoſititium eſt, & relato ab Agnello admodùm recentiùs, quadóquidèm nec ipſi Agnello cognitum, ideòque & poſt Agnelli ejuſdem ætatem confictum. Quidni poſt tempora Georgii Archiepiſcopi, tùm, cùm autographa antiqua, quibus cogitabat *ſe ex poteſtate Romani Pontificis ſubtrahere, in luto projecta ſunt, & ab haſtis, lanceiſque comminuta*, ut narrat Agnellus ipſe in Georgii Vita? Aderat fortaſſis in Archivo Ravennati Apographum Privilegii Mavro in Schiſmate à Conſtantino Imperatore conceſſum, cujus propoſita forma, ſuppoſititium Valentiniani confictum eſt. At Mavri prædicti ſchiſmaticorum teterrimi tempore, decem Eccleſiarum Ravennati Metropolitæ ſubditarum nomina novimus ex Concilio Romano ſub Martino in Cauſa Monothelitarum, cui interfuere, Mavrus Cæſennas, vicè Mavri Archiepiſcopi, Boëtus Cornelienſis, Bonus Ficoclenſis, Donatus Saſſinenſis, Leontius Faventinus, Johannes Vicohabentinus, Gallioniſtus Adrienſis, Stephanus Populienſis, Creſcentius Livienſis, Luminoſus Bononienſis. In Romana Synodo ſub Agathone prætèr allatos, recenſetur, Placentius Placentinus,

Ma-

Mavritius Regiensis, Petrus Mutinensis, Gratiosus Parmensis. Complerent numerum XIV. Ecclesiarum, quas Ravennati Metropolitæ subditas Agnellus asserit: at nec intèr illas Brintana illa Civitas, nec Valentiniani ejus nominis postremi tempore, Placentina, & Parmensis, sed nec fortassè Regiensis, Ravennæ adhùc subjiciebantur. Mutinensis Simplicii Papæ ævo inter Ravennatis Metropolis suffraganeas Ecclesias extitisse, constat ex ejus Pontificis Epistola ad Johannem, ob Gregorium invitum Mutinensis Ecclesiæ Episcopum ordinatum.

V. Hæc omnia conficiunt, quòd licèt Privilegium Agnello indicatum aliud sit à descripto in Historia Ravennati, supràque relato, confictùm tamèn, & illud, ac spurium asserere debeamus. Multa sunt in Agnelliano Opere, quæ Avctorem schismatis pice satìs inquinatum ostendunt; престереà ea ætate scribebat, cùm falsa Schismaticorum Episcoporum tempore nata, mixtaque veris, in hominum opinione obtinuerant. Rem igitùr prò sua, & suorum præconcepta sententia veram quidem, sed fabulis Schismaticorum offuscatam narravit, & Documento credidit schismatis occasione conficto. Ea in re

vera

verà à falsis secernendo, dubitari non posse arbitror Valentiniani Junioris, & Gallæ Placidiæ piissimæ Augustæ opera, Episcopum Ravennatem Metropolitæ honore auctum, idque postremis Johannis Angeloptis Episcopi diebus factum, qui proindè nullum ex subditis Episcopis ordinaverit, sed Petrus Chrisologus prælaudati immediatus Successor, omnium primus Metropolitæ munus exercuerit Vicohabentinum Episcopum ordinando, quod ille allegoricè explicans, primum Ravennatis Ecclesiæ partum fuisse ait, quo Ravennas Ecclesia Mater, novum Episcopum per dolores exclusit. XIV. Ecclesias ab initio Ravennati subjectas non credo ob allata argumenta. De Pallio Imperatoris Privilegio collato, non est ut recedam à Baronii sensu, licèt noverim, quid in hujusmodì re scripserint doctissimi Viri, quæ mei argumenti haud est recoquere. Illud tamen observari debere censeo, ex attenta lectione Epistolarum Magni Gregorii 5. lib.7. 54. lib.2. 11. 15. 50. lib.4. 33. lib.5. 78. lib.7. & 15. lib.12. in primìs autèm 54. lib.2. qua Baronius pro sua sententia utitur, apparere, Episcopos Ravennates Pallio ubiquè antè Gregorii ætatem usos absquè Apo-

ſtolicæ Sedis ſpeciali Privilegio; hoc enim minimè repertum in ejuſdem Sanctæ Sedis ſcrinio, *licèt ſubtilitèr requiſitum* teſtatur Gregorius ipſe, qui demùm nullo alio ex capite Pallii uſum Ravennati concedi debere ait, quàm ob generale Privilegium Metropolitanorum, ejus in plenitudinis poteſtatis ſignum, deferendi. Utebantur itàque multò antè Gregorii Magni ætatem Pallio, & utebantur ubiquè Ravennates Epiſcopi nec uſus hujuſmodì ſingularis, Privilegium ullum extabat in ſcriniis S. Sedis. Idne abſquè rationabili ullo Juris argumento, quo ſe tuerentur Metropolitæ illi? Obſtat ne factum id credamus eorum, qui Epiſcopum illum, cui Gregorius Magnus ſcribebat præceſſerant, ſatis in multis perſpecta pietas, & animi moderatio.

VI. Cæterùm cùm Johannes Chriſologi Prædeceſſor diem obiit, Ravennatem Eccleſiam Metropolitico jure gaviſam, & novi Metropolitæ ordinationem ad Romanum Pontificem ſpectaſſe, oſtendunt, quæ prolixo ſermone Agnellus ipſe (ex quo alii Hiſtoriam deſcripſere) de Chriſologi ad Epiſcopatum divina, mirabilique vocatione, narrat. Cùm enim Plebs, & Clerus ex Ravenna-

vennatis Ecclesiæ gremio Johannis Successorem elegissent, Romam ad Sixtum ejus nominis tertium ivere, ut ille juxtà electionis Decretum Electum consecraret. Pontifex verò Petri Apostolorum Principis, & D. Apollinaris visione monitus, cùm Petrum Episcopi Forocorneliensis, qui aderat, Diaconum, Plebi, Cleroque Ravennatem Episcopum ordinandum renuntiasset, turbæ, & jurgia exorta sunt. Negabant id fieri posse Ravennates, non modò quià Petrus Clero Ravennati adscriptus minimè fuerat, sed etiàm, quòd Forocorneliensis Ecclesia Ravennati subjiciebatur. Agnellus rem narraturus his exorditur. *Igitùr Carissimi illud, quod residuum est de Chrisologi Vita in medium proferamus, & inquiramus quomodò, aut qualitèr in tali orthodoxa Sede non ex propriis Ovibus, sed ex subjecta Corneliense Ecclesia, Ravennates Cives, Pontificem ordinaverunt*. Ubi verò Sixtus narratur agnito inter plures Chrisologo, quem Petrus Apostolus, & Apollinaris præmonstraverant, de ejusdem ordinatione à Numine imperata Clerum, Populumque Ravennatem monuisse, fertur hosce indignatione actos restitisse, & clamasse; *tollite, tollite eum de medio*

 non

non recipimus, quià de subjecta Ecclesia non licet in majorem transferre. Itàque si Agnello fides (quæ cur in his adhibenda non sit minimè video) Ravennas Ecclesia ex veteri, & primæva origine Romano Pontifici immediatè parebat, ad quem de more Clerus proindè, Populusque venerunt, ut Johannis Successor electus consecraretur, & Petrus cognomento Chrisologus primus non fuit, qui Metropolitico honore fulgeret, cum Forocorneliensis Episcopus Ravennati anteà subderetur, & Petrus ipse Clero Ecclesiæ, Ravennati subjectæ adscriptus esset. Primus itàque Ravennas Metropolita fuit Johannes Angeloptes, primus, qui utì Metropolita Episcopos ordinaverit, Petrus Chrisologus, à quo initiatos scimus Marcellinum Vicohabentinum, & Projectum Corneliensem Episcopos.

VII. Nec de Suffraganeorum ordinationibus à Ravennatibus Metropolitis peractis dubitare potest, nisi qui in re perspectissima volens, consultòque cespitet. Quarè mirari satis nequeo eruditissimum veteris, novæque Ecclesiasticæ Disciplinæ Enarratorem, laudatissimi ejus Operis par. 2. lib. 2. cap. 18. nu. 10. sentire, Episcopum Romanum

num, Episcoporum Ravennati Metropolitæ subjectorum ordinationes sibi reservasse, ex eo quòd Gregorius Magnus cùm Ariminensis Episcopus ob capitis infirmitatem Episcopatum in suas manus resignasset, Metropolitæ Ravennati scripto præcepisset, ut electionem novi Præsulis examinaret, & si quidèm Is eo munere dignus inveniretur, ad se cum Decreti pagina, & ejusdem Metropolitæ Ravennatis Epistola, mitteretur consecrandus Romæ. Ex quibus hæc elicit Vir eximius. *Ubi perspicis alibì electum, alibì à Metropolitano suo confirmatum Episcopum, Romæ ordinari à Papa, seù Patriarcha debuisse, quòd ex Canone Nicæno ea esset Patriarcharum prærogativa, ea Romani Præsulis, ut in suburbicariis Regionibus, singulos etiàm Episcopos, & aliis obnoxios Metropolitanis ordinaret.* Verùm nullo modò hæc consequuntur. Ariminum nunquàm Metropolitæ Ravennati paruit. Specialis ea Romani Pontificis delegatio est, qua in Episcopi Ecclesiæ Ariminensis, sibi ut Metropolitæ subditæ electionem, Metropolitæ Ravennati inquiri debere præcipit, qui referat, Electumque Romæ ordinandum ad se mittat. Gregorius ipse lib.6.Ep.39. Ma-

riniano eidem Ravennati, cui delegaverat Ariminensis electionem, de Corneliensi Episcopo in Lapsi locum sufficiendo, & ordinando, hæc habet; *Fraternitatis vestræ Epistola nuntiante comperimus Corneliensis Ecclesiæ filios assidua supplicatione in loco lapsi quondàm Episcopi sui consecrandum sibi à vobis poscere Sacerdotem.* Præterea nec Ravenna, nec Ravennati Ecclesiæ subjectæ Ecclesiæ suburbicariis Regionibus adscribi possunt. Ravenna etenìm, quæ antè Arcadii, & Honorii ætatem Piceni Annonarii Caput habebatur, circà annum 399. Æmiliæ, & Italiæ strictiùs vocatæ conjuncta fuerat ex Cronii veteri Inscriptione apud Gruterum pag. 399. Eminentissimo Norisio relata Differt. de V. Synodo cap. 10. Ad Italiam itàque Ravenna, cum suis Ecclesiis, non ad Suburbicarias, ad regiones videlicèt Vicario Urbis parentes, spectavit, cùm in Metropolim erecta fuit; Ariminum verò ad Picenum Annonarium, licèt & Annonarium Picenum ab aliis Provinciis in civili forma discerneretur, quæ per ea tempora Metropolis Romanæ Provinciam efficiebant. Jus autèm illud quod ex nicæno Canone fluxisse prætenditur, quo Patriarcha Metropolitanorum suffraga-

fraganeos Episcopos ordinasse dicitur, nunquàm in Italia obtinuit, Ravennas enim, Mediolanensis, & Aquilejensis Metropolitæ suos sibi subditos Episcopos consecravere. Ex quo confirmatur collatum, non Patriarchale, sed Metropolitanum Jus in sexto Nicæno Canone, ex Ruffini mente, utì in superioribus dicebamus.

VIII. Ravennatis igitùr Ecclesiæ in Metropolim erectio recentior multò est, quàm crediderit Rubeus, cæterique, qui Rubeum, exscripsere. Quæ ab eo allegantur, ut probet ab Apostolorum usquè ætate Ravennam Metropolim Ecclesiasticam extitisse, concidunt ex usquè modò discussis, quæque his desunt legenda prostant apud Eminentissimum Norisium laudata Differt. de V. Synodo, citato capite. Unum est, quod primo intuitu rem pro Ravennate antiquiori Metropolitico jure pugnare videtur, meque cùm aliquandò penè in transversum ageret, fecit ut rem attentiùs pensitarem, licèt à nullo, quòd sciam Ravennatis vetustissimi Metropolitici juris Propugnatore, observatum sciam. Gelasius Magni Nominis Pontifex Romanus, qui quinquaginta ferè annis post Petri Chrisologi ætatem sedit Epist. 13. quæ

ad Episcopos Dardaniæ inscribitur, irridens Acacii Constantinopolitani Episcopi prædefuncti audaciam, & Græcorum præfractam frontem, qui quam ille Sedis Constantinopolitanæ suprà cæteras eminentiam prætendebat, ex eo defendi contendebant, quòd ille ejus Civitatis Episcopus fuisset, quæ Augusti Throno decorabatur, hæc ait; *risimus, quòd prærogativam volunt Acacio comparari, quià Episcopus fuerit Regiæ Civitatis. Nunquìd apùd Ravennam apùd Mediolanum, apùd Sirmium, apùd Treviros, multis temporibus non constitit Imperator? Nunquìd harum Urbium Sacerdotes ultrà mensuram sibimet antiquitùs deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt?* Porrò cùm in dubium revocari minimè possit, quòd Gelasio summo Pontifice Romæ sedente, Præsul Ravennas Metropolita fuerit, reliquum esse videtur, ut ex Gelasii ejusdem testimonio, non tùnc cæperit Metropolitanum Jus in Ravennate Ecclesia, cùm Urbs illa Regia Augustorum Sedes evasit, sed eodem loco steterit, quò anteà fuerat, *nec ultrà mensuram sibi antiquitùs deputatam quidpiam suis dignitatibus usurpaverit*. Certè Gelasii testimonium omni exceptione majus est, tùm

tùm quòd floruerit pavlò poſt ea tempora, quibus Eccleſiæ Ravennàti Metropoliticum Jus collatum fuiſſe diximus, tùm quòd præſumi debeat, rem hujuſmodì doctiſſimo Romano Pontifici, Jurium Eccleſiaſticorum ſcientiſſimo, benè perſpectam.

IX. Tanta nihilòminus ſunt, adeoquè clara, quæ probant ſeriùs, quàm in cætero Occidenti, in Italia Jus Metropolitanum invectum, tanta, ex quibus evidentèr liquet, de hujuſmodì jure recentiùs Ravennati Eccleſiæ collato, conſtetque Eccleſias nonnullas, ut Forocornelienſis, Ambroſio vivente Mediolanenſi Epiſcopo paruiſſe, & Petri Chriſologi, imò ejus electionis tempore, intèr Ravennæ ſubditas numeratas, ut obvio eo ſenſu, quem præferunt Gelaſii verba, eadem intelligi minimè poſſe, certum ſit. Re itàque ſeriò perpenſa, Gelaſium id ſolùm intendiſſe reor, quod argumentum ferebat, videlicèt nil accedere Juris, quo in alios dominentur, Epiſcopis quibuslibet, ex eo quòd quandòque Auguſti apud eorum Civitatem reſederint, ſed Jura Eccleſiaſtica ab Eccleſiæ auctoritate pendere. Negat proptereà quidquam Eccleſiaſtici Juris acceſſiſſe Epiſcopis Ravennæ, Mediolani, Sirmii, Treviro-

 rum,

rum, ex eo præcisè, quòd apud illas Urbes multo tempore degerint Imperatores, atque ob eam Imperatorum moram earundem Urbium Præsules, *ultrà mensuram sibi antiquitùs deputatam nil suis dignitatibus usurpasse*; minimè verò negat aliundè, ex legitima scilicèt Ecclesiæ potestate, potuisse Jus augeri earundem Ecclesiarum, eo etiam intuitu, quòd Imperatorum ibi Sedes extasset. Gelasii itàque verba ferunt quod Patrum, & Synodorum sanior, & communior sensus tulit, Ecclesiastica videlicèt Jura nullo modo à seculari potestate pendere, vel primarum Ecclesiarum decus, primarum Civitatum decori acceptum referri debere, sed id totum à Canonum præscripto, & à supremo Petri arbitrio effici, ac disponi, proùt rerum, temporumque circumstantiis congruere dignoscitur. Quarè consequitur Ravennæ, Mediolani, Sirmii, Trevirorum Episcopos, & cæteros quoslibet, dignitatum suarum antiquitùs deputatæ mensuræ si quid additum est, non illud usurpasse, quòd ibi Imperatores, quandòque degerint, sed legitimè ex Petri auctoritate, salvo Canonum præscripto, habuisse. Et ità quidèm Gelasii Verba intelligenda arbitror, quæ

proin-

proindè efficiunt minùs curatè, nec præcedentibus cohærens à summo Viro de Metropolitani Ravennatis Juris initiis scriptum; illud videlicèt aquisitum *ea prorsùs ratione, qua Sedes Constantinopolitana ob Imperiale Thronum Patriarchalia Jura usurpavit, ac tandèm pacificè tenuit*. Oppositum enim ait Pontifex, & testatur ob Imperatoris Thronum, nil suprà veterem dignitatis suæ mensuram, Ravennates Præsules usurpasse.

X. Et hæc quidèm in proposito argumento scribenda habui: cætera enìm, quæ ad Ravennatem Ecclesiam pertinent à clarissimorum Virorum lucubrationibus petenda sunt, & si quid novi hìc deest, suo aptè loco ad Agnelli Pontificale observatum est. Mihi nunc in Metropolitani ejus Ecclesiæ Juris originem inquirere, tantùm mens fuit. Id me in ingens sanè pelagus traxit, coëgitque Quæstionem implicatissimam pertractare. An quid boni ex hocce minuto, levidensique opere elici possit, ingenuorum, eorumque, qui veritatem sectantur, esto judicium. Illud me, & ad scribendum movit, & scribenti mihi solatio fuit, quòd sanctissimorum Ecclesiæ temporum monumenta intimiùs

inſpici nequeant, quìn animus, menſque tota ſummo gaudio, ingentique voluptate afficiatur; dùm Scribentis ea eſt felicitas, ut ſibi longiſſimè poſito videatur veteris Eccleſiæ faciem pulcherrimam conſpicere, fruique veteris Diſciplinæ ſimplicitate. Id unum itàque cùm intenderim, genio videlicèt, mihique vacare, nec gloriæ, commodiſque captandis ſcripſerim, ſtudiave quævis ſectatus ſim, cùm etiam minimè auſus fuerim aliena carpere, meve in rerum difficilimarum Magiſtrum erigere, qui benè noverim, quam ſit mihi curta ſupellex; bonam ſpem foveo futurum fore, ut res benè vertat, licèt non omnia mihi probata, omnibus probentur, nec aliorum diſſenſum, fini, quem mihi ſcribens præſcripſi obfuturum. Interìm quod alter minùs fortaſsè ex animi ſenſu ſcripſit (Caſaub. Epiſt. 113.) ipſe veriſſimè, ſanctiſſimeque teſtor, ajoque:

NOS II SUMUS, QUI NOSTRA REFELLI
A' DOCTIS, ET MODESTIS VIRIS
ÆQUISSIMO ANIMO FERAMUS.

FINIS.

IN-



INDEX MATERIARUM

A

lem

B

C

Fames

F

G

H

I

Jus

L

M

N

O

Princeps

Simon


Tripo-

V



Sphalmata graviora	*Corrige.*
Pag. 134. lin. 25. existimavit —	existimavit quisque
Pag. 171. lin. 20. qui vel —	vel in
lin. 23. vel Josephum –	vel in Josephum
Pag. 241. lin. 6. discesserant —	discesserat
Pag. 265. lin. 16. poterant —	poterat
Pag. 301. lin. 3. Orientalis —	Occidentalis

Reliqua æquus Lector facilè agnoscet, & emendabit.



5.265

